

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon Libri IIX

Valerius Flaccus Setinus Balbus, Gaius

Lipsiæ, Anno M.DC.XXX

In Valerium Flaccum philologemata

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1194)

❁❁❁❁❁❁ (1) ❁❁❁❁❁❁
CHRISTOPHORI BULÆI
IN
VALERIUM FLACCUM
PHILOLOGEMATA.

VERS. I. *Prima Deum magnis cani-*
mus freta per via nautis) Frustra se
torserunt Interpretum doctissimi
in loco satis manifesto & apertissimo. Jul.
Scaliger lib. VI. Poët. totum hoc primor-
dium ut minùs poëticum interpolavit, &
versus suos substituit invito magno Caspa-
ro Barthio in admirando Adversariorum
opere. Nec profectò opus fuit intempe-
stivâ illâ crisi. Nihilo enim meliores
sunt, quos numeros attulit cætera divinus
heros. Ergo relinquatur Poëtæ, quod ipse
fecit initium. Quòd autem aliqui pro *Nau-*
tis Natis malunt, male faciunt: Nam cum
Virgilio & Catullo sentit, qui nautas istos
heroas salutârunt. Virgilius in Pollione:

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat
Argo

Delectos heroas. — Manilius lib. V. v. 13.
Et ratis heroum, quæ nunc quoque navigat
astris.

At prima primùm explicant, quasi per anti-
meriam adverbium positum sit pro nomi-
ne: oppidò non bene. Nam in primâ sta

tim voce tam insolenter loqui Flaccus nec voluit, nec debuit. Primus auctor hujus tam audacis glossæ Alciatus fuit, quem vide lib. 8 Parerg. Ego simplicissimè intelligo, quomodo aliàs dicere solemus, *Julius Casar fuit primus Imperator Romanus; Orpheus est antiquissimus Poëta Græcus: Hic est primus serenus dies hujus septimanæ: Socrates fuit primus Philosophus activus, &c.* Infra lib. VI, v. 214. *Primus & hic nostrâ sonipes cadat impius hastâ.* Audis; *primus sonipes impius?* Ibid. v. 223. *cui plurima silvis Pervigilat materna soror.* Propertius lib. III, Eleg. III, *pugnamq; sinistram Cannensem.* Sic hoc loco, *prima freta pervia.* Nam ante hæc maria, patuerunt navigiis nulla. Pueri nôrunt, posse adjectivo jungi adjectivum alterum numerale, sine omni figurâ. *Deorum* autem *freta* appellantur, quia soli Dii marini ea habitasse & pertransisse credebantur ante expeditionem istam. Peto Albinovanus:

— *aliena quid æquora remis*

*Et sacras violamus aquas, Divûmq; quietas
Turbamus sedes &*

Hinc Noster *sacros fluctus* appellat infra v. 637. pariter ut Albinovanus *aquas sacras*, hoc est inviolabiles. Catullus etiam de Argo;

Ille rudem cursu prima imbuat Amphitriten.

v. l. *caninus*) *Canere*, solenne verbum
poëta-

poëtarum est, de quo audiendus Scaliger lib. II. de causf. LL. cap. V. & lib. III. Poët. cap. XXVI. nec non lib. IV. cap. XVI.

v. 3. *mediosq̄ inter juga concita cursus rumpe-
re.*) Nobilissimus Barthius ad Claudian. de bell. Get. legendum hîc existimat *medio cursu*. Et lib. I. Advers. c. XVII. translatas voces arbitratur, quasi dicendum fuisset, *media juga cursu interrumpere*; Dissentio, & ordinem rectum puto. *Rumpere cursus* est rumpere medios fluctus, medium mare, medias æqvoris vias. Infra v. 483.

Et dedit æqvoreos cælo duce tendere cursus.
Lib. II. v. 613.

Pande viam, cursuq̄ tuos age Diva secundo.
Germanicus Cæsar Arato:

Ignotiꝯ maris cursus —
Virgilius I. Æneid. v. 538.

Huc cursus fuit. — hoc est, via, iter.
Ergo *medii cursus* sunt, ut dixi, *mediæ æqvoris viæ*.

v. 5. *Phæbe mone*) *Monere* est docere. Virgil. lib. III. v. 461.

Hæc sunt quæ nostrâ liceat te voce moneri.
Nofter lib. VI. v. 33.

Hinc age, Riphæo quos videris orbe furores
Musa mone.

v. 10. *Eripe me populis, & habenti nubila terræ*) Per *Terram* obscuritatē Poëtæ notant, per *cælos* gloriam & famam. Virg. III. Geor.

— Tentanda via est, quâ me quovis possim
Tollere humi, v. Etorq; virum volitare per ora.
Propert lib. III. Eleg. 1.

Quò me fama levat terrâ sublimis, & à me
Nata coronatis Musa triumphat equis.
Notæ sunt istæ phrasæ, ad cælum tollere, ad side-
ra ferre, pro laudibus mactare.

v. II. Sancte Pater) Vespasianum intelli-
git. Pater autem religionis & reverentiæ
nomen est, quod non solum Numinibus
datur, sed & hominibus, imò & inanima-
tis, adeoque cunctis rebus venerabilibus
& augustis. Non enim Æneas solum Patris
nomen gerit apud Virgil. multis locis, ob
venerationem scilicet. sed & Appenninus &
Tibris. Lege Turnebum lib. XIII. c. VIII.
Noster lib V. v. 209 Pater Inachus.

v. 21. Orsa) incepta. Virgilius: Atque ut
araneoli tenuem formavimus orsum, in Culice.

v. 13. (Namq; potest.) Solymo Nigrantem.) Gi-
fanius Ind. Lucr. Solymoq; nigrantem. quæ le-
ctio elegantior est & numerosior.

v. 14. in omni turre furentem) furere in o-
mni turre, Phrasis est in vulgum mius no-
ta, quam illustrat eruditiss. Caspar Bar-
thius. lib. II. magni operis. cap. IX.

v. 23. gravis) senior.

v. 23. longus p. pulis metus.) Quem subjecti
populi longè lateq; metuebant.

v. 23. amnes) Ita Sabellicus, & Andr. Schot-
tus

IN VALERIUM FLACCUM. 5

tus lib. II. observ. cap. LIV. rectius, quam qui omnes. Poterant enim Othryn & Hæmum petere, qui non essent Pelizæ.

v. 25. *imum Olympum.*) agros ad radices Olympi sitos.

v. 25. *felix*) dives, *δδαιύων*. Sic & *Beatum* pro divite sumi ad Catullum Muretus docet.

v. 28. *per aras*) in aris. Vide lib. IV. v. 750.

v. 29. *super*) insuper, præterea. Gifanius Indice Lucret.

v. 31. *anteire metus*) prævertere, antevnire.

v. 32. *letiq; vias*) rationes ac modos extingvendi. Ovidius:

Tuta frequensq; via est, per amici fallere nomen,

Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

v. 38. *tranquilla tuens*) alii *timens*. Sed priorem lectionem asserunt, quæ statim sequuntur.

— — *nec fronte timendus*

Occupat, & filis dat vultu & pondera dictis.

Sic infra lib. II. v. 555.

illum torva tuens, atq;ve acri lubricus astu.

v. 41. *daq; animum*) aude hoc ipsum. Virgil V. *Æneid.* v. 363.

Nunc si cui virtus, animusq; in pectore præsens

Adsit — — —

h. e. audeat. Nam ita Scaliger lib. IV. poët.

c. 16. interpungit & explicat. rectè.

v. 50. *magni mari*) Eruditè hæc illustrat Ob. Gifanius Indice Lucret.

v. 53. *Olim annis ille ardor hebet*) *olim-annis*, τοῖς πάλιν ἔτεσι. Ita Græcâ hac Syntaxi supra v. 23. dicebat, *longus populis metus*. Quare *ardor olim-annis* est, qui olim in annis erat juvenilibus. Possis tamen & *olim-ardorem* construere, sicuti Catullus *olim-furores* dixit, οὖς πάλαι θυμῶς. Sed prius illud melius est. Lib. VII. v. 156: *quando ardor hebet*.

v. 57. *dignare*) aude isthoc facinus, animo virili periculum hoc subeas. Virgilius lib. I. v. 14. *adire labores* dicit. Ut & Noster v. 320. *nate indignos aditure labores*.

v. 62. *adytis*) Cæsar lib. III. Bell. civil. *In occultis ac remotis templis, quò præter Sacerdotes adire fas non est, quæ Græci ἄδυλα appellant*. Postmodum quilibet locus secretus & promiscuæ hominum multitudini inaccessus ἄδυλον dici cœpit.

v. 63. *hesterno veneno*) Ita rectiùs legitur, quàm *externo*. Vult mella Draconi data esse, quæ virgo pridie veneno miscuerit. Terentius Eunuch. act. V. sc. IV.

Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent.

v. 64. *taciti doli*) Jasoni, vel clandestini; aut etiam tacendi & pudore pleni.

v. 66. *tandem*) Vox hæc nullâ necessitate, sed ornatus tantum gratiâ adhibetur in in-
terro-

interrogationibus vehementibus & emphaticis. Cicero I. Catilin. *Quousque tandem abutere Catilina patientiâ nostrâ?*

v. 68. *aut curru, ut sevos frenâsse Dracones*) malim *currum*, ut respiciatur ad præcedentia. *Ut autem valet cum.*

v. 70. *Vomere terras imbuit.*) primùm versavit. Pari modo Catullus de nuptiis Peleï & Thetidos v. II.

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
hoc est, prima secuit, prima transiit. *Imbuere enim propriè inchoare est seu initiare.*

v. 70. *& flavâ quercum damnavit aristâ.*) Elegans usus verbi *damnare*, pro mutare. Virgilius l. Georg. v. 7. 8.

*Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingvi glandem mutavit aristâ.*
Vide Jos. Castalionem Decade III. Observat. c. IX. Ovidius l. Fast. sub fine:

— — per quas correctâ vetustas,

Quernaq; glans victa est utiliore cibo.

v. 74. *superet*) scilicet astus & insidias Pelie.

v. 74. *magis*) potius.

v. 75. *si*) pro an. Terent. *Vide si intus sit.* In fra lib. VI. vers. 4.

v. 77. *te viridem videt*) Elegantissimo schemate fingit Gloriam sive Famam in litore stantem, ac ad magnos ausus invitantem, cum pollicitatione victoriæ certò reportan-

portandæ, memoriæq; nominis æternæ. Quo etiam argumento victum Jafona mari incubuisse tradit, siquidem ob nominis celebritatem nihil unquam intentatum mansit.

v. 79. *Inceptum*) Nauci hæc est lectio, quare amplector emendationem literatissimi Alardi, qui *Incertum* substituit.

v. 87. *Da Scythiam*) Fac Scythiâ potiar. Verbum *Da* in precationibus hac notione per familiare est. Vide Briffonium lib. I. de Formul. & Taubmannum ad hoc Virgilii, lib. V. v. 690. *da flammam evadere classi, &c.*

v. 91. *accepere Deæ*) audiverunt: Virgil. II. *Æneid. Accipe nunc Danaum insidias,*

v. 99. *rebusq; in secula tollat*) rebus scilicet præclare gestis. *Tollere* verbum est in phrasibus gloriæ solennissimum. Vide Notas ad Cassii Orpheum.

v. 107. *ultrò*) propriè surpatâ voce. Lege Taubmannum ad v. 282. *Culic.*

v. 116. *inviti conjugis*) *μὴ βελόδρῳ.* Adi quæso magnum Danielem Heinsium ad Horat. lib. I. Od. II.

v. 130. *Hic in sperato*) Amplector sententiam politissimi Jani Gvilielmii defendentis vulgarem lectionem, *Hic sperata sedens Tyrreni tergoze piscis.* Vide ipsum Miscellan. c. II. *Sperata* verò Sponsam notat.

v. 149. *quanquam miranda*) valde miranda.

v. 153. *Non juvenem in casus, eademq; pericula Acastum Abripiam?*) Ut scilicet hoc pacto ulciscar fraudes mihi structas, & habeam de familiâ Pelix, qui idem fatum mecum experiatur. Juvat enim socios habuisse malorum.

v. 160. *Raptor*) aquila.

v. 161. *Accipit augurium*) pro se interpretatur. v. 183: *promissa accipit.*

v. 163. *fraternaq; pectora jungens*) consanguinea. Sic hoc ipso libro v. 178. *fraterne si des accedere fama.*

v. 173. *tuaper suspiria*) Te suspirante,

v. 183. *gressus avidos*) celeres.

v. 193. *Dejicit*) Sic Virgil. X. *Æneid. Dejecit leto.* Confer Scaligerum lib. IV. admirandi operis cap. XVI.

v. 191. *carchesia*) Sic Virgil. V. *Æneid. mero libans carchesia Baccho.* Vide Macrobium lib. V. cap. XXI. ex Athenæo.

v. 219. *niveosq; per artus*) candidis in artibus. *Tò per* pro *in* sumitur, ut sæpe apud hunc Nostrum.

v. 230. *plenus fati, Phæboq; quieto*) Supra: *Ecce sacer, totusq; Dei per littora Mopsus.*

v. 266. *ventosq; ferentes*) felices, secundos. Virgilius III. *Æneid. v. 473:*

— *fieret vento mora ne qua ferenti.*

Nostrum lib. VI. v. 327. *aut ventos opus expectare ferentes.*

Senecalib. de Beat. Vit. cap. XXI. *Navigantem ferens & secundus ventus exhilarat*, id est, ventus qui à puppe: *ὄρεια*. Homero est *φίεω* *ὄρεια*. Hac notione idem Seneca *Fortunam ferentem* dixit, pro prosperâ epist. XXII.

v. 285. *à geminâ Abyd.*) De Sesto & Abydo vide quæ Paræus nepos ad Musæum nuper congeffit ex antiquis & recentibus auctori- bus: sunt enim lectu non injucunda.

v. 294. *Jamq; meroludoq; modus*) finis. infra lib. I V. v. 475.

v. 311. *crispans pelagus*) *γλυκὸν χῆμα*.

v. 320. *indignos aditure labores.*) Locutio à Virgilio; quam supra annotavi. *Indignum* autem *ἄφραστον* sive magnum est, seu quod præ magnitudine nō possit æstimari. Sic Ennius *Indignas turres* dixit magnas. Virg. Ciri v. 310:

— *Hæc nobis gravia atq;ve indigna fuere.*

Vide Joseph. Scaligerum ad h. l.

v. 327. *mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor,*) hoc est, dum mors alicujus adhuc metuitur, metus ille tolerabilis est, & non omninò pessimus, quia semper aliquid bonæ spei admixtum habet: ubi verò cujus mortem antea tantum timebam, jam verè mortuus & extinctus est, tum metus iste degenerat in acerrimum dolorem. Igitur jam temporis, quo mortem tibi metuo, possum me adhuc solari spe bonâ, fore ut evadas & superes pericula: ubi autem tri-

item

stem nuncium accepero mortis tuæ tum sanè & ipsa, quanta sum, tota perii. Est oratio hæc Alcimedes succincta quidem & succisa, verùm admodùm plena multis affectibus, quos obiter legendo non statim advertas: attentione opus est.

v. 329. (*Quos jam mente dies.*) Quas calamitates, quos infelices dies animo prævideo.

v. 330. (*raucos ad littoris ictus*) Ita rectè legitur, non paucos. Nam Statius similiter illud epitheti amat.

v. 331. (*Scythicum metuens pontumq; polumq;*) Variè locus hic legitur. Andr. Schottus lib. II. Observ. cap. XXXIX. defendit: *pontumq; Cretamq;*, pessimè. Maserius: *Cyramq; peraudacter*. Præstat ergo sequi *Carionem*, qui nostram scripturam eruditè asserit. Adeatur ipse: nam aliena scrinia compilare mihi religio est.

v. 332. (*nec de te credam nostrum ingrata serenis*) Adeò male tibi metuam, ut etiamsi interdum vel bonum de te nuncium accepero, vel ipsa aliquid boni sive per somnium, sive alia per indicia de te concepero, tamen non sim creditura, ut etiam ingrata videri possim tum in numina, quæ nunciari curabunt, tum in te ipsum, utpote quem planè infelicissimùm credam omnium hominum, & non eâ præditum virtute, ut superare objecta possis pericula. *Serenis* valet *gaudis*

diis de te mihi factis. Ovidius lib. II. de Ponto, eleg. I.

*Tandem aliquod pulsâ curarum nube serenum
Vidi. fortuna verba dediâ meâ.*

Idem I. Trist. III.

Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit.

v. 333. *Da precor amplexus, hæsurâq; verba
relinque Auribus*) Morituri suos prius amplexabantur, & extremum alloquebantur, dum poterant. Seneca in Medea act. III. sc. II.

*Suprema certè liceat abeuntem loqui
Mandata, liceat ultimum amplexum dare.*

Lucanus lib. III.

— *Ventam misero concede parenti*

*Arge, quòd amplexus, extrema quòd oscula
fugi.*

Elegans & eruditus Poëta Sanazarius lib. I. eleg. III.

Atque animâ tecum jam fugiente loqui.

Tibull. lib. I. eleg. I.

Te spectem, suprema mihi quum venerit hora;

Te teneam moriens deficiente manu.

Confer quæ huc facientia constipavit sedula Musarum apud Jan. Gruterus lib. IV. Suspicion cap. I. Et adde Nostrum lib. III:

Ast ego non mediâ te saltem Cyzice vidi

Tendentem mihi morte manus: aut ulla mentis

Verba tuli. (*mentis*) æquè magno & gravi

gravi poculo aureo, quam Pholus tollebat
Vid. Junius lib. IV. cap. V.

v. 341. *Auditaq; magnis vota deis*) Horatius
lib. IV. Od. XIIII:

*Audivere Lyce Di mea vota, Di
Audivere Lyce.*

Noſter lib. VI. v. 292:

Hæc ait, auditorq; Erebo ———

v. 340. *tollere remo.*) Nihil hîc mutan-
dum. Nam sic inferius quoque.

v. 349. *senem*) *Senex* de fœminâ. Tibullus:

Hanc rident merito tot mala ferre senem.

Sic in veteri epigramm. Papiinii (ſeu Pom-
ponii ut habet Prifcianus) apud Varronem
lib. VI. de LL. in adoleſcentem Caſcam:

Ridiculum eſt cum Te Caſcam tua dicit amica;

Fili Petroni, ſesq; ſenex puerum.

Dic Tu puſam illam: ſic fiet mutua muli.

Nam verè puſus Tu, tua amica ſenex.

Turneb. lib. XXX. cap. XV.

v. 360. *arcentibus aluihus.*) quamvis ad-
verſa auſpicia navigationem diſſuaderent.

Lib. VI. contrarium habetur: *diis melio-
ribus.*

v. 366. *certus jaculis*) infra v. 437.

certus

Æthalides ſubitas nervo redeunte ſagittas

Cogere.

Claudianus in IV. Conf. Honor. v. 528.

— — — certiq; petitor

Vulneris, & iussum mentiri nescius iclum.

v. 368. *nec potuit similes voluitve ediscere vul-*
nus.) De ejusmodi hominum similitudini-
 bus notabilia narrant Plinius lib. VII. cap.
 XII. Solinus cap. V. Aristoteles de nat-
 tur. animal. VI. cap. VII. Lactantius de
 Opif. cap. XII. Plutarchus de placit. V.
 cap. XII. Lucretius lib. IV. Valerius Maxi-
 mus lib. IX. Baptista Campofulgofus me-
 morabil. lib. IX. cap. XV.

v. 376. *at frater plenior actis*) Omnino an-
 nis rescribendum est, ut svadet ac per-
 svadet Andreas Schottus lib. II. Observat.
 cap. XXXIX. & LIV. Parum autem re-
 fert *Ancaum* sive *Ancao* legas: nam verbum
contingere utriq; casuum sensu eodem jun-
 gi potest.

v. 438. *gladio bonus*) Manilius: *Voce bo-*
nos. Nemesianus Eclogâ I. ubi videndus
 Barthius: *ἄνυμῆσθ*. Lucretius lib. III;
Qui melior multis quàm tu fuit improbe rebus.
 id est, præstantior. Noster paulo ante
 v. 424: *Oraz; Thessalico melior contundere freno.*
 id est, peritior. Homerus Iliad. ε. *κάτθανε*
ἠγὰ Πάτρωκλθ, ὅπερ σίε πολλὸν ἀμείνων.

v. 448. *frigora*) umbras. Virgilius Ec-
 log. II:

Nunc

Nunc etiam pecudes umbras & frigora
captant.

v. 461. *novissimus*) De hac voce Gerardus
Vossius Instit. Orat.

v. 534. *Justiꝫ facultas*) Laurentius Balbus
ita hunc locum concipit:

— — *justiꝫ facultas*

Hinc mihi, cum varios struerem per secula
reges.

hoc sensu: *fuit mihi facultas justis*, id est, ju-
ste & æquabiliter hominum atque terra-
rum fata disponendi, cum rerum im-
mutabilem seriem componerem, *hinc*, id
est, ex eo, quòd nullus tunc mihi in ter-
ris filius erat, cujus privatus amor à recto
& justo me retraheret. Sed Ego nihil
muto: nam idem sensus haut paulo cla-
riùs in vulgari quoque lectione. Cæte-
rùm ex Apollonio hæc esse docet An-
dreas Schottus libro II. Observat. capi-
te LIV.

v. 548. *Undat equis floretꝫ viris.*) Lucre-
tius: *floret mare navibus.* Idem libro I:
Hinc lætas urbes pueris florere videmus. Sic
urbem sepulchris florere dixit Prudentius.
Libro V. vers. 564: *flores variis via decolor*
armis. Libro VI. vers. 77. *armatâ florescant*
pube novales.

v. 550. *Ulla pares animos*) Erat cum legendum putabam, *mares animos*. quomodo Horatius in de arte:

Tyrtaeus & *mares animos in Martia bella*
Versibus exacuit.

Et Persius Sat. VI. v. 4:

Atque marem strepitum fidis intendisse Latina.
Item Apulejus lib. III. *Metam. Heus pueri,*
inquit, quin maribus animis, & viribus alacribus
dormientes aggrediamur. Sed nunc prior
scripturæ acquiesco.

v. 548. *sed nulla magis sententia menti fixa*
mea.) Quod post multas dubitandi ultro
citroq; rationes concluditur apud ani-
mum, *sententia dicitur.* Silius lib. XII:

Hæc postquam placita, & tenuit sententia
mentem.

Sidonius: *Tandem cunctanti sedit sententia.*

v. 563. *me primùm regia mundo*) *Mundus*
pro cælo, ut post Carrionem rectè doctis-
simus & amicissimus Alardus noster anno-
tavit. Lucretius lib. V. circa finem:

At vigilans mundi magni & versatile templum
Sol & Luna suo lustrantes lumine circum.

Idem lib. II:

— *rejeſtant voces ad sidera mundi.*

Virgilius II. Georg.

— — *Vos o clarissima mundi*

Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum.

Enni-

Ennius: *Mundus cœli vastus constitit silentio.*

Claudianus: *Firmior Herculeâ mundus cervi-
ce pependit.*

Iterum Virgilius in Ciri:

Suspicit ad culti nutantia sidera mundi.

Idem in Culice:

Lucidâq; ætheris ponit discrimina mundo.

Seneca in Hercule Furente v. 18:

Mundus puellæ ferta Gnoſſiacæ gerit.

Idem Oedipo v. 45.

Tristisq; mundus nubilo pallet die.

sive ut alii, — *nubilo pallet novo.* Vide Ma-
crobium in somn. Scip. lib. I. cap. XX. &
lib. I. cap. XI. Ciceroni etiam *mundus lu-
cens* dicitur, & *mundus ætheris*; Tibullo.

v. 617. *piceo cœlo*) sic mox: *Cum picei fulsere
poli.* Lib. II. v. 15: *Cum dea se piceo per sudum
turbida nimbo Præcipitat.* Et v. 521. *piceo nec
dum tenet omnia cœlo.* Intelligit autem in-
gruentes atras nubes. Nam cœlum pro
aëre nubibusq; sumi, pueris notum.

v. 626. *sed tale fretum.*) Sed hanc maris na-
turam esse putant.

v. 628. *quod*) subintellige *facere.*

v. 631. *linquite terræ spem pelagi.*) Alii, *ter-
ras spe pelagi*, sensu ironico. Ego veterem
lectionem tueor, quæ procul dubio Vale-
rii. Cave autem *terram* casum tertium
putes numeri singularis: nam quintus est

plurativi, appellatus per *ἀνθρώπων*, hac sententiâ: *Terra*, hoc est, homines à naturâ in terris collocati, nolite relicto solo salum ingredi, aut lucrum sperare è pelago. Aliâs non video sensum in phrasi, *spem pelagi terrare relinquere*. Effet enim, si quid rectè intelligo, terras incendere spe pelagi, seu jubere terras, ut lucrum è pelago sperent. Quod huic loco nequit convenire. *Terram* autem pro hominibus, terræ incolis, etiam Virgil. dixit I. Georg.

— *vestrosi munere tellus,*

chaeniam pingvi glandem mutavit aristâ.

Dere ipsâ eleganter elegiæ princeps Propertius lib. 111. 6:

Ite rates curvæ & leti contexite causas,

Ista per humanas mors venit alta manus:

Terra parum fuerat fatis; adjecimus undas.

Fortuna miseris auximus arte vias.

Sed lege quæso totum carmen, facies operæ precium.

v. 632. *sacros fluctus*) hoc est, quos tentare religio fit. Nam sacrum haut rarò religiosum, venerabile, inviolabile. Catullus inquit scilicet: *Di magni, horribilem & sacrum libellum*. Supra v. 1. *Deorum freta* appellabat.

v. 633. *segni flentes occumbere leto*.) Mors quæ in naufragio oppetebatur invisa maxi-

mè

mè erat veteribus illis. Hinc milites apud Synesium, ne naufragio perirent, statuunt sibi necem manu consciscere, ut heroicam, & animæ nequaquam exitialem. Quia enim igneam hanc credebant extinguere vi-
debatur contrario elemento. Quare Homerus de solo Ajace Oilei aquis submersi ad istum modum scripsit:

ὄϊς ὁ μὲν οὐθ' ἀπίλωλεν, ἐπεὶ πῖεν ἄλμυρον ὕδωρ.

Ajax interiit, postquam bibit æquoris un-
dam.

Nullum enim alium interiisse dixit, sed ut quisque à corpore se jungitur, αἰδὶς δεβέσκει.
Silius lib. VI. v. 202.

Hunc medio invadit fluctu, ripæq; relatos

(Hæc genus infandum leti) depascentur ar-
tus.

Nam sic emendat primum versum Fr. Mo-
dius Novantiq. lect. epist. XXII. Vide Synesium epist. III. Servium in I. Æneid.
Frid. Taubmannum in Culic. v. 348. Lud.
Carrionem, & eruditiss. Lamp. Alardum
ad hunc Nostrum.

v. 636. Junguntq; manus atque ora fatigant)
Discedentes manus jungere, & se invi-
cem osculari amant. Ovidius I. Trist.
eleg. 3. Et quasi discedens oscula summa dedi.
Ibidem.

*Nec mora: sermonis verba imperfecta relinquo,
Amplectens animo proxima quæq; meo.
v. 642. hanc mihi Pallas, & soror.)* Interro-
gationum notâ locus hic animandus est:

— — hanc mihi Pallas,
*Et soror hanc, inquit, mulcens mea pectora
fletu*

Abstulerint? — — —

Intelligit trifidam hastam, seu ipsum re-
gnum maris, quod sibi à Junone & Pallade
integrum relinqui cupit.

v. 652. quos (vultus horror) sensus planus
est, constructio paulo intricatior. Ordo
hic videtur: Cum Notis ad Æoliæ tendunt
simul æquora portæ, hos ipsos Notos à ter-
go insecuti comites, Horror, Pluvia, & Im-
ber. Ad Linacrum de constr. ordinat.

v. 666. *Hæc pelagi libat limes*) Hunc mo-
rem jam omni alii docuerunt: quare actum
non agam.

v. 675. *da reddere terris hæc animas*) supra:
da mergere Grajos. Infra lib. IV. v. 635: *date
tangere vultus.* Virgilius IV. Æneid. v. 683:
date vulnere limes abluam, id est, finite, con-
cedite.

v. 687. *clamor, dextraq; sequentum.*) Ita le-
git ex veteribus libris Gifanius Ind. Lu-
cret. Nec potest dissentire Carrio. Nam
hanc literam sæpe veteres contravulgatos
Gram-

Grammaticorum canones produxerunt.

Lucretius lib. I:

— aut aliquid nostra quo corpora aluntur.

Prudentius lib. I. in Symmach.

Munera ridendaq; suis.

Propter sequens scilicet *vi* *qv*. ubi *v* in *vv* mollesens duplicem consonantem atque sic positionem quam vocant, repræsentat. Lipsius de rectâ pronunc. LL. cap. XII. Et Ægidius Schudus de Rhetiâ Alpinâ cap. XXXVI. Inde *Liquor* & *Liquidus* primam habent ancipitem, & *aqua* primam longam per Lucretium:

Qua calidum faciunt aqua tactum atque vaporem.

v. 677. *quocunqve loco*) id est, omni. Propertius lib. II. Eleg. XVII:

*Nos quocunqve loco, nos omni tempore tecum,
Sive agrâ pariter, sive valente sumus.*

Cicero de Oratore; *Per multos excellentes in quocunqve genere videbis.*

v. 684. *manus inscia*) scribe *anxia*: nam hæc vera lectio est, quam etiam Andr. Schottus tuetur lib. II. Observ. cap. LVII.

v. 704 *arisonâ orâ*) Cur *arisona* doctissimus Alardus habet. At quòd vulgati pro *orâ* malunt *Ida*, non placet. Nam illud prius haut paulo elegantius est: videturq;

hoc novitium à manu esse glossatoris, ignorantis, quænam fuerit illa ora.

v. 707. *visu lassatur*) Ita suavissimus poetarum Musæus de amore Leand. & Herus v. 78: *παραλαύων εὐόγγοισι*. Plautus Menæchm. *Oculi spectando dolent*. Lucretius: *sessus satiate videndi*. Adde Nostrium v. 419.

v. 721. *O domus, ô freti nequicquam prole nepotes*) Meræ tenebræ in hoc versu, quas illustrâris, si cum Laur. Balbo Liliensi legas penates: nam nepotes Pelias nullos habebat. Est ergo apostrophe ad domum, in quâ se frustra prolem suscepisse conqueritur Pater, ut qui filium nunquam reducem simul cum cæteris Argonautis in pelago crederet periturum. Memineris hanc figuram Valerio esse sollemnissimam, quâ non in auxilium vocatâ necesse sit offendere multis locis.

v. 771. *avi rudis*) Ita legendum est, non *Rerum rudis*, ut Carrioni visum. & poscit textus.

v. 779. *gentis de more*.) Virgilius VI: *lethas de more bidentes*. Stadius *ex more* V. Silvar. II. v. 29. Contrariam est *sine more*; quod injustè, sine exemplo, crudeliter exponit Lucretius in Statii Thebaida. Legendus Petrus Faber JC. lib. II. Semestr. cap. XVIII.

IN VALERIUM FLACCUM. 23

v. 808. *incondita lei fors*) *Incondita*, incognita, ignota. Claudianus:

Qui crimen matris condidit ore nova,
hoc est, notum fecit, propalavit.

Tibullus ad Messalam in principio:

— ac *meritas si carmina laudes*

Deficiant, humilis tantis sim conditor actis.

IN LIB. II.

VERS. 43. *stellatus crinibus aether*) Capella lib. II.

Nunc stellata poli conspice limina,

Statius VI. Thebaid.

— — *cæli stellantis imago.*

Crines autem pro radiis accipit. Infra lib.

V. v. 415:

— *madidis rorantes crinibus ignes.*

Virgilius in Culice v. 43:

Crinibus & roseis tenebras aurora fugat,

v. 51. *at non experti*) *an non Liliensis.* Ego

Ac non vel & non. Ita enim locutio multo fit venustior, & parum receditur à vulgatâ scripturâ.

v. 74. *tuta domosq; petunt*) id est, loca & mansiones. Sic Catullus carm. LXIV. de Attine furore percitâ:

— — — *sequimini*

*Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad
nemora deæ.*

Et

Et domos avium Virgil. II. Georg. nidos appellavit: ne putemus domos tantum habitacula hominum dici. Lucretius etiam lib. I. v. 18.

Fronduferasq; domos avium.

Sannazarius, cultissimus Poëta, lib. II. Eleg. IX:

Serpentum facta est alituumq; domus.

Quod autem Laur. Balbus in sequentibus raro raras in raucas mutat, præter necessitatem argutus est. Sunt enim sub exortum Solis ad huc rariores in littoribus aves, quam ubi plena emicuit dies,

v. 92. *acclivem*) statim emenda, *acclinem*, quæ vox multis in locis contaminata fuit. Est autem *acclinis*, qui se ad rem aliquam acclinat. Martianus Capella lib. VIII: *Evapone vietus atque acclinis adstabat.* Noster lib. I: *acclinisq; tapetis in mediis.* Claudianus de Prob. & Olyb. consul. v. 115. ex Raphelegii restitutione:

*Cessite gramineo confederat, arbore fulvus
Acclines humeros — — —*

Apulejus quoque, Statius, Arnobius, aliiq; hoc verbo sic usi.

v. 144. *nostros dolores.*) Thressas mulieres, quæ nobis dolori erunt.

v. 143. *illa genas*) Quid hoc sermonis est? Legerim *pieta*.

v. 145. *in tali quoniam tibi tempore conjux*)
Ego hæc non capio: explicet qui potest, &
sanet: multa enim vulnera in paucis ver-
sibus.

v. 178. *fortuna dedisses*) Ita scribendum est,
non *dedisset*, ut Carrioni placet. Nam apo-
strophas Valerio usitatissimas esse, supe-
rius monui.

v. 186. *sperabit.*) audebit.

v. 190. *delubraque festa frunde tegunt.*) Vir-
gil. II. Æneid.

*Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esses
Ille dies, festa velamus frunde per urbem.*

v. 254. *obnubitque caput*) Antiquum fuit insti-
tutum, ut sacra diis facientes caput tege-
rent. Varro: *Romano ritu sacrificium femine
cum faciunt, capita velant.* Joan. Brodzus
lib. V. miscell. cap. VIII.

v. 291. *Puppe domos*) Sabellicus *Pube*, quod
non placet.

v. 294. *solvimus heu miserum furtis scelus:*)
Alii non *miserum*, sed *serum*, quod rectum
puto. Virgilius V. Æneid.

*Seraque terrifici cecinerunt omnia vates,
hoc est, tristia, ut Servius interpretatur. Lu-
cretius initio lib. III: si fieri ita sera voluntas,
id est, sinistra, turpis, cæca, male sana.*

Seneca in *Medeâ* act. 4. v. 17:

Hic sera serpens corpus immensum trahit,

Triff.

*Trifidamq̄ lingvā exsertat, & quærens quibus
Mortifera veniat.*

Confer Palmerium in fine XIV. Spicileg.

v. 312. *arma notant.*) Est hic notare idem
quod observare, ut rectè Carrio. Petro-
nius: *dum hæc diligentius audio, non notavi
mibi Ascyli fugam.* Iterum: *Proximâ ergo no-
ctæ, quum miles notasset sibi & lumen inter mo-
numenta clarius fulgens.* Idem alibi admo-
dum quàm sæpe.

v. 374. *invigilans atq̄ve integer*) Suspiciabar
olim impiger: sed jam video integritatem
scripturæ. Dicitur *integer* Hercules, quòd
ab Hypsipyle se abstinuerat. Horatius:

Integer vitæ, scelerisq̄ purus.

v. 383. *si sedet*) omnino placet. Claudia-
nus bell. Gildon. v. 115:

Hæc ubi sederunt genero —

Vide de hoc verbo Bernartii Scholia ad Pa-
pinium, & Pincierii ad Catech.

v. 406. *tenuisset*) detinuisset. Sæpe hæc
voce ita utitur Symmachus in epistol.

v. 423. *per hunc utero quem linquis*) Usita-
tissimæ obtestationes per liberos. Libanus
Plautinus Afinar. I. sc. I: *Sicut tuum vis uni-
cum gnatum tuæ superesse vitæ sospitem & super-
sittem: ita te obtestor.*

v. 452. *litorea blando anfractu sinuosa legens.*)
Isidorus lib. X. Origin. *Lector à legendo di-
citur;*

IN VALERIUM FLACCUM. 27

citur, hoc est, percurrentes: unde & navis dicitur legere, quicquid transit. Minutius Felix: *Oram curvi molliter litoris, iter fabulis fallentibus legebamus.* Virgil. III. Æneid.

Teq̄ datis lingvo ventis palmosa Selinis,

Et vada dura lego saxis Lilybeia cœcis.

v. eod. vox attigit aures,) alii accidit. Lucretius lib. IV:

At quæ pars vocum non aures incidit ipsas.

Cicero in Vatin. *Non putas fas esse verbum ex ore exire cuiusquam, quod non iucundum & honorificum ad aures tuas accidat.* Confer quæ inferius noto ad lib. IV. v. 580.

v. 455. *dura*) malim *diræ*.

v. 461. *cæco clamore*) incondito, incomposito, vario, & in omnes partes effuso. Confer autem Virgil. II. Æneid. v. 223. 224.

v. 462. *defectaq̄ virginis ora*) rectè ita, non *dejectaq̄*. *Defecta ora* sunt pallentia, deficientia. Inferius v. 493: *Meq̄ precor, defectaq̄ Pergama monstris Eripe.* Pari modo Apulejus lib. VIII. *Metamorph. defectam valetudinem dixit: Sed per corporis ut videtis, mei defectam valetudinem opitulari nequeam.* Idem lib. VI. mox ab initio: *Et ilico dirigit citatum gradum, quem defectum prorsus assiduis laboribus spes incitabat & votum.* Noster lib. VII. v. 116.

v. 174. *fugeret*) *Sabellicus fregit, male.*

Imita-

Imitatur Maronem lib. II Æneid. *Excessere omnes adyris, arisq; relictis, &c.*

v. 475. princip. morbi, (æliq; exacta sereno Temperies.) Vult malum istud prænunciatum antecedentis morbis, & diebus præter morem turbidis. Nam cælum turbidum & lux obscura, inter scæva omnia Vide nobilissimi. Barthium ad Claudian. in Conf. Olyb. & Prob.

v. 480 *primæva manus.*) Juvenes primi ævi. Sic Noster hoc ipso libro v. 657. — *centum primæva ministræ Corpora.* Et *primum ævum* inferiùs lib. VII. pro Juventute. Seneca Hippol. II. sc. III:

Tu qui juventa st. re primævo viges.

Stattius lib. II. Silvar. Epicedio Pileti:

— *miserum est primæva parenti*

Pignora, sargentesq; nefas accendere natos.

v. 482. *corriger Ammon.*) Explicuit hæc sufficienter ingeniosiss. Alardus, quem cum eruditissimo Gabriel. Schleiffentagio, Musarum Gratiarumq; ocello, à multis annis diligo ἰσον ἐμῆ κεφαλῆ, ἰσον φηέσων ἐνοῖσι Nempe debuit hîc quoque prædicari noster amor.

v. 498 *Sigæq; pestis*) Draco pestifer. Nam quidquid latale, noxium, & damnosum est, id *pestis* nomine solet appellari. Catullus seipsum alloquens ita de amore suo:

Eripite hanc pestem perniciosamq; mihi.

Idem;

Idem: *Quare aut crudelem nasorum interfice pestem.* Cicero Philipp. VII: *Tetram & pestiferam belluam ne inclusam & constrictam dimittatis cavete.* Apulejus V. *Metam. de Sororibus Psyche:* *Sed jam pestes illa, teterrimæq; Furie anhelantes vipereum virus navigant.* Videatur Claud. Minos in embl. Alciati XXIX. & contendatur hæc descriptio Valeriana cum illâ Virgiliî ex II. *Æneid.* v. 200. & seqq. Nam eò respexisse Nostrum, liquido apparet.

v. 505. *Litoribus (sua cogit hiems.) Suum dicitur, quicquid alicui proprium, aut certâ ratione ad aliquem pertinet.* lib. II. v. 626: *Sed suus in Venerem raptat Deus.* Vult ergo: *Draconem ad litora agunt fluctus, quos ipse excitat. Hiems non solum pro tempestate, sed & quibusvis fluctibus majoribus apud Valerium sæpe occurrit. Loca notet, cui volupe.*

v. 506. *alto) mari.* Lib. IV, v. 268: *Spu- manti qualis in alto Pliade capta ratis.* Sed hæc protrita sunt.

v. 507. *patriusq; manus cum plenus habentis Orion) Scribo:*

— *patriusq; minax cum plenus habentis*

Orion bipedum statu mare tollit eqvorum.

Cum minax Orion, plenus patrii habentis, hoc est, laxans habenas tollit & exci-

tat mare flatu bipedum eqvorum. Sed cū
bipedum? Puto, quia parte sui posteriore
desinunt in pisces. Pervigilium Veneris:

*Cerulas inter catervas, inter & bipedes
eqvos.*

v. 512. *suaq; arma precatus.*) Duces prælium
inuituri, non solum Deos, sed & arma sua
implorabant. Virgilius XII.

*Exin, quæ tu mediis ingenti adnixa columna
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Arunci spoliū: quassatq; trementem,
Vociferans: nunc, o nunquam frustra vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus
Actor,* Epus,

*Te Turni nunc dextra gerit: da sternere cor-
Loricamq; manu validâ lacerare revulsam
Semiviri Phrygis; & sædare in pulvere cri-
nes.*

v. 522. *totâq; pharetra nube premit*) omni te-
lorum genere. Ita Apostolus in eâ ad He-
bræos cap. 12. §. 1. *ἡ ἀσπίς σου, nubem testi-
um.* quod imitatus politis. Lipsius in orat.
de calumniâ.

v. 523. *magnus Eryx*) post imbres non est
ponendum punctum, sed *νόστιμος*: dicit enim
Erycem neque ab imbris neque à ven-
torum flatibus sede suâ dimoveri. Cicero
IV. Verrinâ *Erycem* vocat.

v. 531. *Pistris.*) *Pistris, maximum animal in
mari*

mari Indico, ait Plinius lib. II. cap. IV. Cicero-
 neroni dicta, *Neptunia Pistrix*. Videatur
 Hadrianus Junius libro II. variar. lect. ca-
 pite XIII.

v. 537. *collibus amnes*.) *Ida enim aquis &*
fontibus abundat.

v. 542. *crudi saxi*) *aspero, duri.*

v. 543. *emicat*) *Profilit. Emicare celerem*
& concitatum motum indicat. Virgilius
lib. extremo Æneid.

— — *saltuq; superbus*

Emicat in currum — —

Noſter lib. VI. v. 550:

— — *magniq; in fata Ceramni*

Emicuit — —

v. 553. *aëri muri*) *alti. Virgilius Tityro:*

Nec gemere aëria cessabit turur ab ulmo.

Idem VI. Æneid:

Monte sub aërio — —

Idem lib. III. v. 291:

Protenus aërias Phœacum abscondimus
arces.

Catullus in Epithalamio Pelei & Thetidis:

Non sine nutanti platano, stetitq; sorore

Flammati Phœthontis, & aëria cupressu.

v. 556. *subis*) *adit, aggreditur. Cicero; vult*
eum alicujus subire.

v. eod. *male lætus*) *parum lætus.*

v. 561. *noſter ades*) *unus es de iis, qui pro-*

pingvitar : nos attingunt. Terentius : *no-*
ster est, p. 10 de necessariis nostris.

v. 562. *Stirpis honos.*) Eadem stirps. Lib.
V. v. 109: *inde etiam par mortis honos. Honor*
rei pro re ipsâ. Cassius Parmensis in Or-
pheo :

Qui cupit aeternæ donari frundis honore.
Ubi vide quæ notamus.

v. eod. *longis oris*) longinquis. Proper-
tius :

Longum iter ad doctas proficisci cogor
Athenas.

v. 573. *manet immotis nox Dorica lustris.*)
Hæc certè vera lectio est, quam in postre-
mâ editione etiam Carrio in gratiam ite-
rum recepit. *Qui Duria vel Durica* obtru-
dunt, inepti sunt. Nusquam enim, quod
ego meminerim, hæ voces exstant. *Nox*
ergo *Dorica* est, quâ equus à Trojanis in ur-
bem admissus est, *Doresq;* ceperunt & in-
flammârunt Pergamâ. Dicitur ad faciem
proverbii, ut *dies Alliensis, dies Cannensis, Ves-*
spera & Sicilienses. Nisi fortè recipere velimus
novam conjecturam clariss. & longè eru-
ditissimi Alardi mei, qui *noctem duliam* reponit :
ingeniosè quidem, sed fortassis haut ex-
mente Valerii.

v. 582. *vigili simul omnia ludo festa vident*)
hoc est, vident omnia personare lætis lu-
dis.

dis. *Festum pro lato, hilari. Silius Ital. libro XIII. de Pane:*

*Dextera lascivit casâ Tegeatide caprâ,
Verbera lata movens festâ per compita caudâ.*

Seneca Hippol. II. sc. II. v. 14:

*Mentem relaxa, motibus festis facem
Astolle.*

Idem Troade IV. sc. I. v. 23:

Depone cultus squalidos, festos cape.

v. 583. *Idæ*) Jam olim notaram non *Idæ* sed *Ida* legi debere. Nunc gaudeo id ipsum etiam placere Lamp. Alardo, Viro elegantissimo & probissimo, cui post Lud. Carriorem civicam debet noster Valerius.

v. 591. *tum sternit aquas*) Deæ Deive marini sermonem facturi, prius æqvori ventisq; silentia imponere solent, quod passim apud Nostrum aliosq; observare possis.

v. 603. *vacui Averni.*) Statius XI. Thebaid.

— *insano pratendis funera voto*

Meq; premis frustra vacua ceu proximus aula.
Claudianus I. de rapt. v. 20.

*DI, quibus in numerum vacui famulantur
Averni.*

Sed cur *Vacui*? qui omnia viva consumunt, nihil in eis esse necesse est consumi potens. Ita respondet Barthius ad hunc Claudiani locum.

v. 608. *nec Inois noster sinus invidet undis*) noster sinus nihil cedit præstantiâ Inois undis: tam felix in se est, ut nihil causæ habeam, quare eum mutare velim Inois undis: nihil Inoz undæ habent præ meo sinu, quod ipsis invidere possim. Petronius: *Osculis fruor ad invidiam felicibus.* hoc est. qualia alii non ferunt, ac proinde mihi invident.

AD LIBRUM III.

VERS. 4. *Æneidæ*) *Ænida* potius hîc leg. Laur. Balbus, & Andr. Schottus in Annotat rectè censent. Non enim ab *Æneâ* deducitur, ut Maserio perperam visum, sed ab *Æneo*, Cyzici Patre Nomina verò Græca in *eus* diphthongum, finita in *ides* penultimâ productâ gignunt patronymica, ut *Thesides*, *Ayides*, *Nelides*. Sic *Ænides* ab *Æneo* Apollinis & Stylbæ filio.

v. 10. *primas conjux Percosia vestes*) Innuie Jasoni munerum loco datas vestes à Cyzico, quas ipse nuper à Clite, Percosii filiâ, conjuge suâ acceperat. Quod autem vulnus hîc subesse Carrio ait, ego non video. Mihi hæc bella cohærent.

v. 18. *quid*) ob quid, quare. Sæpe sic Cicero, sæpius Comici.

v. 32. *leni canebant æquora sulco*) *Canum* & *spumosum* propria duo maris & frequentissima

ma epitheta, nonnunquam altero in verbum commutato. Hieronymus Tom. I. epist. 49. ad Innocent. *spumer fluctus canescunt.* Virgilius I. Georg. *Cano spumant freta concisa fluctu.* Avienus: *spumosum late pelagus canescere cernes.* Manilius lib. V. *marisq; profundi Canities.* Lege Elmenhorstium ad Minut. Fel. pag. 5. Sic Noster mox v. 16: *spumosumq; legunt fracta Syllaceon unda.* Et lib. IV. v. 268: *spumanti qualis in alto Pliade captaratis.*

v. 48. *Pan nemorum belliq; potens*) *Pana* belligerum fuisse vel ex argumento Nonni cognoscimus, vel ex Theocriti *Fistulâ*: nam in eâ sunt ista quoque verba de *Pane Deo*: *ἄϊτε πάρος. Πάνος τίμα Κάκω.* Eundem fuisse Atheniensibus auxilio contra Persas ex eodem carmine docet Politis. Politianus *Miscellan. cap. XXVIII.*

v. 50. *coma sibilâ*) *Cœsturna*, sibilans. Sic Virgil. II. Georgicôn: *colla sibilâ.* & II. *Æneid. ora sibilâ.*

v. 66. *nube meri*) ebrietate. Sic lib. I. *nubila terrâ.* Lib. VIII. *nubes soporis.* Boëthius lib. V. prosâ II: *Inscitia nubes.* *Nubilum stultitiâ* Fulgentius mythol. I. Aufonius, lectissimus Poëta: *Pelle soporiferi senium nubemq; veterni.* Barth.

v. 98. *stellantia*) Hæc est correctura Liliensis, quæ merito recipitur.

v. 99. *notat.*) videt, ut supra annotavi.

v. 102. *ruentem*) *ὀτρύνοντος* pro eruentem, profternentem. Virgilius XII. *Æneid.*

v. 454:

— — *dabit ille ruinas*

Arboribus, stragemq̄ satis, ruet omnia latè.

Noster infra v. 583: *obvia quæque ruens.* Lucretius lib. III: *Corruere hæc mentis violento turbine molem.* Plinius: *sues ruunt herbas & linum.*

v. 105. *quo steteris moriere loco*) post hæc verba distinctionis nota poni debet.

v. 106. *compressiq̄ mandens æquora.*) à Virgilio, seu Homero potius.

v. 107. *singultibus expulit hastam*) Cæcus est, qui non videt verissimam esse lectionem literatissimi Alardi nostri:

— *purpuream singultibus expulit auram.*

v. 109. *magistri*) naucleri. Carrio super hac voce satis defunctus est, etiam Joann. VVeitzius, ὁ δὲ Ἄλφειος, ad Ovidium; quare nihil addo.

v. 125. *ab urbe*) liber MS. *ab arce*, quod rectum est. Maro II. *Æneid.*

Laocoon ardens summâ decurrit ab arce.

v. 130. *prospexit*) quid si perrexit?

v. 131. *altè*) malim *alto*: quamquam & prius defendi potest.

v. 136. *per medium contenta fugit*) rapida, citissima. Germanicus Cæsar:

Subsequitur rapido contenta canicula cursu.

Rutilius lib I:

Volvitur ipse tibi, qui continet omnia Phæbus,
id est, contento cursu emetitur, ut Barthio placet. τῶ πεπλασθῆναι ἐν Μεσοτίαι ἴριφι.

Lucretius lib. II:

Et quæcunque magis contento conciliatu,
ubi Gifanius: *contensu*, vulgò fere *contentus*, *rapidissimus*. Vide Nonium.

v. 144. *linquite ait ferro*.) Ferto legit Joann. Baptista Pius: *eleganter*. Alii *Feretro*, non tam bene.

v. 156. *cornum*:) hastam. Virgilius lib. IX. v. 698: *volat Itala cornus*, id est, ex cornu hastile. Idem Georg. lib. II. & *bona belle Cornus*.

v. 170. *semperq; tuis memorabile fatis*.) Ita scripsit Poëta, non mirabile. Virgil. X:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Aeneæ magni dextrâ cadis.

Ovidius XII: Transform.

———— solamen habeto

Mortis, ab Æmonio quòd sis iugulatus Achille.
Attius apud Macrobius libro VI. *capite* I:

Nam tropæum ferre me à forti viro pulchrum est.

Siu autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum.

v. 178. *en frigidus orbis purpureos jam somnus obit*) mors frigida in oculis natat. Somnus pro morte, quod notissimum. Lege capitale illud ingenium Caspar. Barthium ad v. 213. de bello Gildon. Claudian. Et jucundissimum Alardum meum ad lib. IV. Nostri. v. 41.

v. 112. *simul omnia noctis Musa sequi.*) aperte emendandum est *omina*: quam labem miror non eluisse Carrionem.

v. 224. *Cæcus.*) Bene Alardus cum Sabellico & Parrhasio *Cæus*: nam sic Poëta scripsit. Vide Hesiod. Theogoniâ. Frustra verò invidet Carrio hanc loci restitutionem suis auctoribus, & temere carpit ut exiguam, & in quâ parva laus sit. Meminisse ipse debebat, haut paulo majorem laudem captari ab emendatione unius corrupti loci, quàm ex ineptâ disceptatione, scribendumne sit *peremptus an peremptus*, ammonuit an admonuit, *Cumæus an Cumæus vel Cymæus*, *Hemonia an Æmonia*, *Lamma an Lamna*, *Minia an Minye*, *Hæres an Heres*, *Folus an Pholus*, *Sulfur an sulphur*, *quotiens an quoties*, *choruscus an coruscus*, *cycæus an cygnus*, *calyps an calybs*
aut

aut calybs, antennæ vel antemna, Cortina vel Gortina, Lycurgus vel Ligurgus, arena vel harena. Borean vel Boream, suboles an seboles, barabri an barabri, th. rus an torus, h' s' dem an usdem, inmemor an immemor, adsunt vel assunt, ei quando an ei quando, amittere vel amittere, clamide an chlamidem, Ammon vel Hammon, Rhindace an Rhundace, oricalca an orihalca, gnævet an navet, & quæ similes sunt argutiæ, partim inutiles, partim perspicuè falsæ, quibus ipsis tamen non minimam scholiorum suorum partem confecit.

v. 234. iustâ sanguis exuberat urnâ.) Propter cæsuram syllaba correpta extenditur, inquit Georg. Fabricius de genere Sapphico ad Senecam. At Jan. Gruterus ad Medeam Senecæ: Etiam ultima in sanguis producta, ut v. 0. nuu me Melissa. Cui succinit Hieronymus Avantius Veronensis de generibus carminum in Tragœdiis Senecæ: In Medea, inquit, legitur v. 775:

Vestris istic perfidi sanguis inest.

Ubi dico spondeum esse in quinta sede, non trochæum: ut apud Tibullum cauentem:

Quicquid agit, sanguis est tamen ille meus.

Lucanus:

Dum sanguis inerat, dum vis materna.

Quin semel Maro,

Unâ eademq; viâ sanguis animus sequuntur.

Semel

Semel Valerius Flaccus, bis Lucretius, & bis Silius producit ultimum in sanguis: & legitur de Lucretiâ in antiquo epigrammate:

Sanguis ante virum, Spiritus ante Deum.

Hæc ille. ALARDE, cui parti accedemus?

v. 238. *motas videt inter nubila turres*) Hinc Claudianus Cybelen *turrigeram* vocat lib. I. de rapt. Mythologiam Arnobius habet lib. V. Doctissimè omnium Lucretius lib. II. quem vide.

v. 246. *Quòd si tanta Jovis.*) Sabellicus contra omnes libros:

Quòd si Titanis seros durâisset in ortus.

& rectè. Non enim Apollinis oraculum verius, quàm sic voluisse Valerium.

v. 252. *nocte satæ*) Eumenides. aliàs noctigenæ. Hesiod. Theog.

v. 270. *Quòd fugitis*) alii: *quos fugitis.* prius nitidius est.

v. 271. *magis*) potius, ut mox habet v. 298. Claudian. de bell. Ger.

Sed magis ex aliis fluxit clementia causis.

v. 278. *tenuis*) lege *tenuis.* nam antiquitus scribebant *tenuis.*

v. 287. *infracta*) fracta. ab *infringo*: Libro VI. v. 199:

— *infracta est vulnere cervix.*

Alibi augendi habet potentiam. Videffidus

duſ ævi Caſp. Barthium ad Claudian. de
bell. Gildon. v. 240.

v. 291. nox.) mors. Catullus:

Nobis cum ſemel occidit brevis lux.

Nox eſt perpetuà una dormienda.

v. 311. Vos age) Jungitur particula *age*
etiam numero pluralivo. Lib. V. v. 538:

Quare, age, cognatas primùm defendite ſedes.

Lib. VI. v. 213:

Hunc, age, vel caſo comitem me reddite fraſtri.

Stattius X. Thebaid: *Ite age.*

v. 313. igni.) rogo.

v. 317. nec dum ſoboles.) Magnum ſceminis
ſolamen luctus, ex amiſſis maritis ſuſce-
piſſe prolem, in quâ vivam parentis in tue-
rentur imaginem. Nota eſt querela Dido-
nis ad Æneam in Virgilio lib. IV. Æneid:

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet

Ante fugam ſoboles: ſi quis mihi parvulus
aulâ

Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret,

Non equidem omnino capta aut deſerta vi-
derer.

v. 321. Natales rapuère domus) Carrio ma-
vult fatales. infulſè. Vide tu Turnebum
lib. XI. cap. VIII.

v. 350. ſupremo cum clamore) ilicet. Cætera
eruditè illustravit ſos virorum Lampertus
Alardus.

v. 365 mens carpitur æstu) animi æstus, quasi maritimum fluctuum, pro exagitatione curarum plurimi dixerunt. Princeps Poëtarum IV. Æneid.

At regina gravi jam dudum carpitur æstu.
Ibidem:

— magno curarum fluctuat æstu.

Idem Ciri v. 340:

His ubi sollicitos animi relevaverat æstus.

Apulejus lib. V: At Psyche relieta sola, nisi quod infestis Furiis agitata sola non est, æstu pelagi similiter mœrendo fluctuat. Idem principio lib. III: æstus invadit animum vespertini recordatione facinoris. Quod autem Carrio cum Parisiensi codice pro carpitur caditur eligit, ingeniosè facit, non rectè.

v. 401. sidereos annos) festivissimè & prorsus heroicè.

v. 427. contristat) obumbrat.

v. 423. seque horribis accommodat altis) Horror pro religione. Virgil. lib. Æneid I:

— horrentisq; atrum nemus imminet umbræ.

Et initio lib. VI:

— horrendaq; procul secreta Sibylla.

Idem lib. VII:

Horrendum silvis & religione parentum.

Eadè horribicè pro venerandè Lucretius etiam usus est in rebus sacris lib. II.

Horribicè fertur divina matris imago.

Noctes

Noster lib. I I. v. 433: *hic numinis ingens horror.*

v. 428. *utq; metum numenq; loco metus pro religione.* Noster superius lib. I I. v. 440: *sacrisq; metum seruemus operis.* Virgilius lib.

VII. *Aeneid: multosq; metu servata per annos.* Statius: *primus in orbe deos fecit timor.*

v. 431. *auratâ fronte bidentes.*) Cornua victimarum inaurari solebant. Cujus rei testis est Homerus Odyss. 7. Iliad. 2. Virgilius I. Georg. Idem lib. IX.

Et statuam ante aras auratâ fronte juvencam. Macrobius lib. III. cap. V. Turnebus lib. XXI. cap. XXV. Casaubonus ad histor. augustam pag. 459.

v. 432. *candenti veste sacerdos.*) Sacerdotes in sacris veste utebantur albâ. Vide Festum, & ibi Scaligerum.

v. 454. *nulla ideo pestes*) *pestis pro quavis re noxiâ.* Cicero de amicis: *Sic habendum est, nullam in amicitis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem.*

v. 455. *minores*) *posterii.* Lucretius lib. V: *quas lacrimas peperere minoribus nostris?* Juvenal. sat. 2. v. 146: *Pauliq; minoribus, i. e. posteris Pauli.* Horatius ad August: *Majores audire, minores dicere.* Arnobius lib. III. *& minorum transmisit ætati.* Virgilius aliquoties. Lipsius epist. qv. lib. IV. cap. XXV. Ovid III. Fastor. *Unde minores nunc quoque se celebrant.*

v. 465. *Ceraunia*) sunt montes Epiri, qui crebrò fulminibus impetuntur, unde & nomen habent.

v. 506. *insitias astusq; noverca*) quidam astus malunt, sed veriore esse primam lectionem facillè apparet ex iis, quæ ad v. 365. annotavi.

v. 533. *acclivis Juno*) emendo *acclinis*; quæ vox vel tandem in sedes suas revocari debet.

v. 534. *prensâq; manu.*) Solebant quibus familiarius loquebantur, eos manu apprehendere. Idq; hodiernum usitatum, & in magnâ parte gratiæ, si minori fiat à proceribus.

v. 552. *quadrupes.*) cervus.

v. 555. *spes fusa.*) alii *lusa*, quod melius.

v. 571. *unanimum.*) lego; *uranimum.* nihil huic loco aptius.

v. 573. *nube mali*) superius v. 66. *nube meri.*

v. 577. *piceo sudore*) crasso.

v. 578. *hiberni vultus Jovis.*) aura hiberna. Jupiter pro aëre. Horatius lib. I. od. I. *sub Jove frigido.*

v. 622. *exstitit*) Imitatione Græcorum, pro fuit. Ita Lucretius lib. III:

————— manus & pes
Atque oculi partes animantis totius ex-
stant.

Ibidem:

Ibidem :

Quâ neq; mobilius quidquã neq; tenuius exstat.
Et aliàs admodum quàm sæpe.

v. 623. *dubiis quibus anxia*) Editio Argent.
& Lugdun. *variant quis anxia pectora curis.*
Unde facilè Carrioni exsculpere lectio-
nem, quam veram puto : *variant quæis anxia*
pectora curis.

v. 640. *Dememorans.*) Ita ex veteri libro
delicium Musarum Ob. Gifanius, quem
frustra toties sugillat superbus Carrio.

v. 736. *solis silvis*) Virgil. V. *Æneid. Solâ*
secretæ Troades actâ. Noster sequenti libro
v. 5: *Solisq; furit Tiryntius oris.*

AD LIBRUM IV.

VERS. 4. *tollunt*) efferunt, insolentem
faciunt. Sallustius : *Splendor domesticus*
tibi animas tollit.

v. 5. *furit*) impotenter amat, similis fu-
rioso amatum Hylam quærit. Lib. VII. v. 154:
extremo parere furori, id est, amori. Ibid.
v. 315: *quem propter furit.* Virg. IV. *Æn.* v. 68:

Uritur infelix Dido totâq; vagatur
Urbe furens — — —

Hinc furor eidem pro amoribus ipsis. Ec-
log. X:

Certe siue mihi Phyllis, siue esset Amyntas,
Seu quicunq; furor — — —

id est, alia puella quam amarem.

v. 6. *At comite immemores.*) Sanus locus, modò rectè tractetur. Hæc ergo Syntaxis : *At Minyæ immemores facilesq;*, (hoc est, parum solliciti de Hylâ & Hercule) comite relicto alta tenent. *Alta* hoc est, maria. Libro II. v. 2:

*Intere a scelerum lætusq; ignarus Jason
Alta secat,*

v. 13. *Veneremq; move*) excita. Virgil. I. Georg. v. 130:

Prædariq; lupos jussit, pontumq; moveri.

Idem:

v. 19. *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* ut nulla deum superare potestas:) postquam non poterat amplius resistere obrepenti deo, hoc est somno. Hunc enim inter deos numerant Poëte. Stenius, nisi fallor. nō enim est ad manus: *placidissime somne deorum.*

v. 21. *montibus vacuis*) scilicet à clamore & vociferatione Herculis.

v. 24. *talis*) legendum *talêis*, nempe voces. Ne talis stetisse putes.

v. 22. *puer*) Hylas. Virgil. III. Georg. *Cui non dictus Hylas puer?*

v. 25. *pater*) Pater nomen honoris, nec semper ad grandiozem ætatem refertur. Ita Homerus Odyss. θ. ξένε πάτερ.

v. 48. *domus*) nidus, quod superius notavi. Ita v. 45. *larem* eodem modo:

Cum rapit Alcyonis misera fetumq; laremq; .

v. 80. *celeranda*) celeriter obeunda. Sic alibi: *celerare opem*, pro celeriter afferre. Et hoc ipso libro v. 385: *Imperiumq; patris celerans*. Virgilius libro principe: *Hæc celerans*, celeriter facere cupiens. Ita Græci *καλδεν* & *ταχύνειν* usurpant.

v. 87. *medicabile carmen*) Vide quæ ad Cassiæ Orpheû commentamur. exitura mox foras.

v. 106. *adveftet*) adveftetur. Vide Gellium lib. XVIII. cap. XII.

v. 136. *nomen amici*) ipsum amicum. Ovidius: *Illud amicitia sanctum & venerabile nomen*. Noster lib. VII. v. 275.

v. 164. *gaudia*) verbum nuptum.

v. 189. *Atque oculos cuncti inter se tenuere silentes.*) Phrasis Virgiliana II. *Æneid. Contingere omnes intentiq; ora tenebant.*

v. 202. *qui montibus altis summus abit*) *abit*, hoc est, ascendit, assurgit. Lege eruditiss. Virum August. Buchnerum ad Venantiû Hymnum Paschalem.

v. 205. *nec genus antero gat*) Solebant ab ignotis primò omnium genus, patriam, & nomen poscere. Homerus *βαλεγοννομαχία*. Noster lib. V. v. 467. Lib. II. v. 468: *Quod virgo tibi nomenq; genusq;.*

v. 233. *vix dum etiam primæ spargentem signa juventæ.*) *Νοείδοντα*, modò florenti lanugine barbam instruentem, ut Apulejus loquitur lib. V. Lucilius barbam primam vocat. Pacu-

vius: *Nunc primùm opacat flora lanugo genas.*
Ovidius, Poëta Virgilio quantò inferior
tantò facilior & promptior: *Et suberat flavæ
jam nova barba comæ.*

v. 232. *nec fronte truce[m], nec mole tremen-
dam.*) qvalis videlicet erat Amycus.

v. 250 *volumina*) subtilium lororum. Pa-
ri venustate Virgilius V. *Æneid.* *Huc illuc
vinculorum immensa volumina versat.*

v. 250. *crudis durata volumina tauris.*) hoc
est, è corio bubulo crudo facta. Adi Tur-
nebum lib. XIV. cap. V. Et Jul. Scalige-
rum lib. I. poët. cap. XXI,

v. 251. *quos potes indue cestus.*) Erant *cestus*
lora, quibus pugilum brachia & manus in-
nectebantur: sicuti hodie pugillatu decer-
taturi chirotecis manus muniunt, quò &
firmiorem ictum inferant, neque manum
lædant, & sine noxâ sustineant adversarii
petitionem. Lege quæ Rigaltius habet in
Notis ad Onofandri Strategicum.

v. 261. *Malea*) Græcis *Μάλσα* & *Μάλεια*: in-
de corripuit Noster. Produxit Propertius
lib. III. Eleg. XVII.

*Et placidum Syrtes portum, & bona litora
nautis,*

Præbeat hospitio sæva Malea suo.

v. 293. *turbatum*) deturbatum, prostra-
tum, fufum. Ita mox: *turbatq; premitq; Anci-
pitern.*

pitem. Et apud Maronem; acies turbata, & castraturbata.

v. 307. *sonat omni vulnere vertex Inclina*) *Inclinem ἀκλινῶν* amicissimus Alardus hinc interpretatur, quod Amyclus inclinari ante non potuerit, quam vulnus in cervicem acciperet. Sed obstare nihil videtur, quod minus pro *inclinante* accipiamus. Quin imò hoc textus svidet. Nam & sonare verticem ad omne vulnus, (accepit ergo) & cedere instanti Polluci, his ipsis versibus disertè dicitur.

v. 309. *sanguineaꝫ latent aures*) hoc est, præ sanguine & cruore conspici nequeunt. Suspicio tamen scriptum à Poëtâ: *sanguineaꝫ madent aures*. Quomodo inferiùs legitur v. 754. *meritoꝫ madent quòd sanguine cestus*.

v. 320. *tenditur*) protenditur, procidit.

v. 336. *freta curre*) maria pernaviga. Similis locutio lib. I. v. 170. & lib. III. v. 614.

v. 337. *bipenni*) securi. Ovidius XII. *Metam.* — *veluti qui candida tauri Rumpere sacrificâ molitur colla securi*. Noster lib. I. v. 192: *letiferâ perfringere colla bipenni*.

v. 338. *perfusiꝫ sacro placati gurgitis amne*) Post cædes & prælia amne vivo se lustrabant, antequam cibum caperent.

v. 351. *Virginis blandos ad ignes.*) Ignis pro amoribus. Ovidius cultissimus Poëtarum: *Quoꝫ magis legitur, tanto magis astuat ignis*.

Virgilius in principio lib. IV. notissimis
versibus:

*At regina gravi jam dudum saucia curâ
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

Valerius Flaccus lib. V. v. 110:

— *blandosq; Jovis quæ luserat ignes.*

Idem lib. VII. v. 253:

— — *pestemq; latentem*

Ossibus, atque imi monstrabat pectoris ignem.

Hinc Veneres ipsæ, *ignes*. Terentius Eunucho, lepidissimâ fabulâ: *Accede ad ignem hunc, calesces plus satis.*

v. 354. *curâ jugali*) Zelotypiâ.

v. 356. *culpa*) adulterii.

v. 337. *Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ*) Discedentes oscula dabant non modò carissimis, cujus rei aliquot exempla in hoc Nostro habes superiùs: sed & domui ac terræ patriæ. Adi Ovidium I. Trist. e. leg. III. Idem faciebant & redeuntes peregrè. Exemplum narrat doctissimus Vir Th. Lansius in Orationibus, de invictissimo Imperatore, Carolo V.

v. 386. *leni modulatur carmen avenâ.*) Virg. I. Æneid. *Ille ego qui quondam gracili modulatus avenâ Carmen.*

v. 393. *cum facibus spirisq;*) Furia cum facibus ardentibus prodire finguntur à poëtis, nec non angvibus circum capita pexis, quos spirarum nomine Valerius hîc intelligit.

ligit. Tibullus: *T. siphoneq̄ impexa feros pro
crinibus angves.*

v. 401. *Ceu Styga*) Locutio proverbialis
ab Homero:

ἐχθρὸς ἢ μοὶ κείνῳ ὅμῳς αἶδαο πύλῃσιν.

v. 406. *volat præcipere*) *ἐκ χειρὸς*, cujus plu-
ra exempla suppeditat Barthius ad Neme-
sian. Eclog. III.

v. 422. *tendebant carbasa venti*) Sic Virg. III.
Æneid. Tendunt vela Noti.

v. 445. *mea quod vates in sedis Apollo Pectora*)
Sic plenum numine ac potestate Dei Arnobius
dixit lib. V. Et Noster lib. v. 673: *mole Dei
quem pectore toto jam tenet.* Cōfer lib. I. v. 207.
Jul. Scalig. de seipso: *φῶτον ὄλον κατέχων εἴηται.*

v. 475. *sit modus.*) finis. Horatius:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Valerius noster infra v. 584:

Tunc sperare modum pœnæ veniamq̄ licebit.

v. 481. *miserans hominum genus*) Festus:
Miseratur is, qui conqueritur aliena incom-
moda: miseretur is, qui subleuat. Vide li-
bro I. v. 72. Virgilius: *Miserantem incommo-
da nostra.* Inde miseratio, *οὐκ ἐπιμὸς.*

v. 496. *Ipsoq̄ ferens fastigia visu.*) legen-
dum *fastidia.*

v. 560. *secula*) *fata*, rerum leges ac decreta.

v. 568. *auxilium mentemq̄ dabunt*) mentem,
hoc est fiduciam, perseverantiam. Vide P.
Victorium lib. VII. var. lect. cap. V.

v. 580. *vox hac simul accidit aures.*) Ita legendum pertendit Gifanius Ind. Lucret. cui libenter adstipulor, non modo quòd verba in compositione sapiùs assumant præpositionem nominis, sed & quòd elegantissimus & Latinissimus auctor Apulejus ita locutus lib. V: *clemens quidam sonus aures ejus accidit.* Vide ad lib. I. v. 452.

v. 602. *Gradivo*) Marte longis gradibus incedente.

v. 605. *Divaq; Gorgonei gestatrix innuba monstri*) Pallas. Evolvatur Ovidius lib. V. *Metam.* sect. 2. & lib. IV. sect. 12. *Cumprimis Natalis Comes* lib. IV. cap. V.

v. 652. *deus affuit ansis.*) *Adesse pro favore, ad patrocinium venire.* Virgil. in *Pollione*:
— *huic mater quamvis atq; huic pater adsit.*
Et lib. IV. *Aeneid.* *Adsit o placidusq; juves.* Sed de his luculenter Briffonius de verb. signif.

v. 655. *flammata pudore juvenus.*) Vide quæ hac de re noto ad Cassii Parmensis *Orpheum.*

v. 666. *magno puppem procul æqvore vestit*) magnâ aqvarum vi puppem pene obruit. Livius: *montes silvis vestiti.* Prudentius in *Symmach.*

Unde seges latè crinitis fluctuet agris,

Densius & gravidis se vestiat æqvor arstis.

v. 668. *dura juvenus*) laboriosa. Virgil. III. *Aeneid.* v. 94:

Darda-

*Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus?*

Idem lib. IV:

*Atlantis duri, qui cælum vertice fulcit.
hoc est, laboriosi. Idem II. Georgic.*

Scipiadas duros bello _____

Ovidius I. Transformationum;

*Inde genus durum sumus experiensq; laborum.
Hinc durare, fortiter in labore pergere, Vir-
gilius:*

Durate & rebus vosmet servate secundis.

v. 712. *pontiꝯ jacentis omne solum.*) Quid quid
rei alicui subjacet, id solum ejus dicitur.
Hinc *navium solum* est mare, *avium aër*, *stel-
larum cælum.* Virgilius V. *Æneid.* v. 199:

— *vastis tremit ictibus ærea puppis,*

Subtrahiturq; solum _____

Ovidius I. *Metam.* *Astra tenent cæleste solum.*

v. 728. *Scythicum specie sinuatus in arcum.*)

Pari modo Silius lib. IV:

Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus.

v. 748. *vel a contenta*) id est, rapida, citissi-
mè pergentia. Vide ad lib. III. v. 136.

v. 750. *per littora*) in littore. Virgilius IX.
Æneid. v. 316. *passim vino somnoꝯ per herbam
Corpora fusa vident.* Lucanus in Panegyrico:
Atque illas cecinere sui per carmina vates, hoc
est, in carminibus. Noster infra libro V.
v. 343. *per juga*, in montibus. v. 410. *per lecta,*
in tectis. Lib. I. v. 207. Lib. VI. v. 35.

v. 758. *inviso solvit cui pectore panas.*) *sva-*
deo legendum inciso, quia dixit superius
 v. 305 *seqq.*

— — *turbatq; premitq;*

Ancipitem, crebros & liber congerit iellus
Desuper averso: sonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditq; malis. jam tempora manant
Sanguineq; madent aures: vitalia donec
Vincula, quæ primo cervix committitur artu
solvit dextra gravis ———

AD LIBRUM V.

VERS. 1. *lux haut lata viris*) Lib. I. v. 30:
virtusq; haut lata tyranno.

v. 4. *nimum jam vera locuti Phineos*) supra
 lib. IV. v. 591.

v. 5. *rapti*) *rapti dicuntur, qui vel morte*
violentâ, vel ante senectutem pereunt.

v. 8. *sedem*) i. sepulchrum. Virgilius VII:
Æneid. v. 3. Et lib. VI. v. 328:

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluentia
Transportare prius, quàm sedib^o ossa quierint.
 Noster lib. VII. v. 208:

Componam, sedemq; dabo ———

Vetus inscriptio: HANC. SEDEM. SIBI.
 VIVI. POSUERUNT.

v. 15. *Tiphyn agit violenta lues.*) Sæpe ita Se-
 neca in Tragediis. Ubi videndus Grute-
 rus. Codex enim non ad manus est, ut lo-
 ca possim annotare.

v. 22. *gravidam*) grandævum.

v. 23. *natorum parva manus*.) Circuitio poetica, pro *parvuli*.

v. 60. *defleta nomina*) v. 575: *defletosq; duces*.

Nomina autem pro viris ipsis. Infra v. 118: *nova nomina*, hoc est, *focii novi*.

v. 85. *Non tulit Æsonides*) Virgilius eo libro, quo narrat invasionem Trojæ, hoc est secundo:

Non tulit hanc speciẽ furiatã mente Choræbus.

Nonster infra v. 649:

*Non tulit hæc animis, quin longa silentia Pallas
Rumperet.*

Idem lib. VI. v. 725:

Non tulit hos gemitus Perses, clademq; suorum.

v. 107. *alta Carambis raditur*) præteritur.

Maro III. Æneid. v. 699:

*Hinc altas cautes projectaq; saxa Pachyni
Radimus.*

Propertius lib. III. Eleg. III:

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,

v. 196. *dure properantia sidera*) hoc est, tempestates & infortunia.

v. 218. *da bella*) memora, expone. Horatius Sat. VIII: *Da, si grave non est*. Sic accipe pro audi, quod superius notatum.

v. 301. *rerum summã*) id est, statu. Virgil. II. Æn. *Quo res summa loco?* h. e. respublica.

v. 303. *undantem curis*) fluctuantem. Virgilius: *curarum fluctuat æstu*.

v. 343. *viam corripunt.*) Plinius epist. LXVI: *tanto celerius viam ipsam corripimus.* Vise ad magnum Turnebum lib. IX. cap. 28.

v. 343. *verni Hymetti*) vernalis, florentis. Lucretius: *species verna diei.*

v. 351. *tacito passu*) lento, tardo. Ita & Claudianus alicubi loquitur.

v. 384. *olimq; beator ille qui tulerit*) Laudaturi summo opere virginem, beatum prædicant futurum ejus sponsum aut maritum. Vide *Ματοίω* ἐπιθ., lepidissimum Musæum de amore Herûs & Leandri.

v. 409. *radiantis adirent ora dei.*) Intelligit domû Solis & flammantia poli mœnia.

v. 414. *soror*) Luna. Stautius: *fraternis aflatata rotis.*

v. 410. *madida vorantes crinibus ignes.*) Stella. Lib. II. v. 65:

Axe nitet serpens septenosq; implicat ignes.

v. 424. *permutant*) Sallustius: *nemo nisi victor pacem bello mutavit.* Horatius lib. I. epist. VI: *Otia divitiis Arabum liberrima muto.* Confer eundem lib. I. Od. XVI. & XIX.

v. 448. *deqvesta*) valdè qvesta. De hîc auget. Stautius lib. XI. Thebaid. *Talia deqvestus.* Et lib. I: *similesq; Notos deqvestus & imbres.* Vide ibi Bernartium.

v. 491. *exuvias*) sequenti lib. v. 19: *exuvias pecudis dimittere sacra.*

v. 528. *urit*) angit, excruciat. Terentius
Eu-

Eunucho : *Uro hominem.* Svetonius : *urebant anxiam mentem varia undiqve convitia.*

v. 565. *Qvalis ab Oceano.*) Versus bini festivissimi, sed qui non admodum svaviter se invicem excipiunt. Legerim ergo in posteriori pro *Qvalibus, Qvalis &*. Nisi fortè unus superfluit, à glossatore insertus, aut à Poëtâ quidem factus, sed ut eligeretur è duobus, qui sit optimus.

v. 566. *nox cingitur astris.*) Hinc ea venustè Theocritus noctis *ὀπιδὺς* appellat. Tibullus lib. II. Eleg. I:

Ludite, jam nox jungit eqvos, currumq; sequuntur,

Matris lascivo sidera fulva choro.

Petronius:

*Jam plena Phæbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens astra radianti face.*

v. 66. *priùs humentem lux solverit umbram.*)

Imitatione Virgil.

Ante diem clauso componat vesper Olympo.

Umbra autem pro nocte. Lib. III. v. 1:

Tertia jam gelidas Titonia solverat umbras.

v. 650. *strepitum*) *iram, tumultum, convitia.*

v. 667. *& medio nos cerne mari,*) & statim *excedemus his terris, atqve per maria domum repetemus.*

AD LIBRUM VI.

VERS. 2. & acri corde tumet.) Virg. VI. *Æn.*
tumida ex irâ tum corda residunt. Arno-
 bius lib. I. *nullus tumor indignationis in Diis est.*
 Ovidius: *Ora tument irâ.* Sic Græcis αἰδαίνεσθαι
 turgere & irasci significat. Ita mare, quod
 noster *iratum*, alii *tumidum* appellant. Ovi-
 dius XIV. *Metamorph.*

*Ærâq; & tumidum subitis concursibus æquor
 Astræi turbant, & eunt in prælia fratres.*

Seneca in Agamemnone:

Agitata ventis unda venturis tumet.

Tibullus ad Messalam:

Adversis hiberna licet tumeant freta ventis.

Ovidius iterum, lib. I. *Trist. eleg. II:*

*Quocunq; aspicio, nihil est nisi pontus & æther,
 Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.*

v. 4. si) pro an, more Græco.

v. 5. *Græcè ἀπὸ τοῦ ἀβυρῆος*) perdere,
 extinguere, submergere, per *μερίσσειν*, quâ fi-
 gurâ τὴν *καλῆσθαι μάλθρα καὶ εἰς* efferimus. Plinius in
 epist. *Domos incendium absunit.* Sic Horatius
 τὸ *lambere* usurpat lib. I. *Satir. 5:*

Nam vaga per veterē dilapso flamma culinam

Vulcano, summū properabat lambere tectum.

Et Lucretius τὸ *degustare*. *Ignis celeri flammâ
 degustat tigna trabesq;.*

v. 7. *concutiens*) gestus iratorum.

v. 10. *rate sacrâ.*) *Palladiâ*, ut alibi appel-
 latur.

v. 15. *legatos placet ire duces.*) ἰδὴ ἡμῶν , pro,
placet ut legati eant.

v. 16. *Mandataq; Perses edocet affari Minyas.*)
fortè *mandataq; Perses Edocet effari Mynius.*

v. 20. *tanti exordia belli.*) *initia.* Virgilius:
primæ exordia pugnae. Cicero: *exordium mali.*
Sic *introitum* pro *initio* idem Cicero in *câ*
pro *Cælio*: *Ac mihi quidem videtur, iudices*
hic introitus defensionis adolescentiæ M. Cælii
maximè convenire, ut ad ea, quæ accusatores de-
formandi hujus causâ, detrahendæ spoliandæq;
dignitatis gratiâ dixerunt, respondeam.

v. 24. *non illos ideo.*) *Vulnus est in his duo-*
bus versibus, cui non sum solidando. Ex
ingenio autem interpolare sine prælucen-
tibus vetustis libris, opus fuerit plenum
periculosa alex.

v. 33. *furores*) sc. *bellicos.* Sic *furorem bel-*
lorum in Lucano legimus, & *bellandi furorem*
in Silio. Noster inferius v. 116:

Dic age, tuq; feri reminiscere Musa furoris.

v. 35. *per bella*) in bello.

v. 39. *pingvi ubere*) *ubertate, fœcundita-*
te. Virgil. I. *Æneid.* *Terra potens armis atq;ve*
ubere glebæ. Idem II. *Georg.* & *fertilis ube-*
re campus. Sic Homerus *Ἰταγ ἀρούρης dixit*
ἀντὶ τῆς μακρῆς γῆς. Vult autem Poëta *Scythiam*
tam populosam esse, ut si bello ardeat
vel perpetuo, tamen virorum ei nunquam
desit.

v. 46. *arserit*) ardentem cupierit. Virgilius II. *Æneid.*

Tum verò ardemus scitari, & querere causas.
Idem lib. I.

Levitiaq; metuq; avidi conjungere dextras
Ardebant, i. e. impensissimè cupiebant.

v. 83. *catejas*) hastas. Alexander lib. VI. cap. XXII.

v. 99. *aclide*) *Aclides* tela sunt, sic dicta quafi *ἀκιδες*, à cuspide, vel quasi *ἀγκυλίδες*, ut Turnebo placet, cum & *ἀγκύλαι* Græcis jacula sint, lib. XXX. cap. XXI. De his præter Virgilium lib. VII. *Æneid.* v. 730. etiam Silius: *Aclidis usus erat.*

v. 102. *nivem olorum*) perpetuo epitheto. Virgilius II *Georg.* v. 199. *pascentem nivos herboso in fluminae cicnos.* Idem *purpurei*, eodem sensu. Horatius IV. *Od.* I. *purpureis ales oloribus*, hoc est, *ἀγλαοῖς*, *ἀγλαομόρφοις*. Nam quicquid pulchrum aut splendidum, *purpureum* dicebant, monente Scaligero in *Conjectaneis*. Sic Ovidius, seu potius Pedro Albinovanus ad *Liviam nivem* etiam *purpuream* vocavit:

— *purpureâ sub nive terra latet.*

Ab eâdem mente, ut videtur *Æliano*, *Venerem* quoque *πορφυρεῶν* dixit *Anacreon*. *Anacreon* inquam, Poëtarum flos & honor, totus à *Græciis* factus, altus à *Musis*. Cui illustrando utinam aliquot bonas horas impendat

pendat aliquis Meursius aut Barthius! Nam inferioris subfellii literatores frustra attentarint.

v. 121. *raptor amorum Neurus.*) Neuros statis anni temporibus in lupos verti narrat Mela lib. II. cap. I. Quare Andr. Schottus lib. II. Observ. cap. XXXVII. legendum arbitratur, *raptor agnorum*, quod luporum sit in agnos favire & eos rapere. Sed non vidit imprudens castigato violari legem Pediam. Nam quod *Progne, Cycnus*, aliaque hujus generis corripuntur, eum nihil juvat: siquidem Græca sunt, & à Græcis correpta, quos Latini imitantur. Illud autem Ovidii, quod vulgò adducunt ex VIII. Transform.

Debit illius misereri, & ignoscere nobis,
in MSS sine & haberi jam dudum Micylus & Bersmannus docuere. Igitur si emendatione opus, legendum duxerim, *raptor agrorum*. Seneca: *Arcadii populator agri*. Ovidius XI. I. *Metamorph. Troje populator Atrides*. Ibid. lib. XIII. *Operis nostri populator Achilles*. Agros autem, pro bobus in agris pascentibus, dixit Noster inferiori libro VII. v. 281: & *Æeos jubeas mittere campos*.

v. 131. *ignotis insons Arimasse metallis*) Libro I: *At quibus arborum studiumque insontis aratri*. Vide Elveri Deambul. vern.

v. 136. *viridantem floribus hastas.*) *Legō:
nexas vibrantem floribus hastas.*

v. 138. *turiferos, felicia regna, Sabæos*) *Sabæi
Arabix felicis populi sunt, apud quos so-
lostus gigni tradit Plin. lib. XII. cap. XIV.
Virgilius II. Georg. v. 117: solis est turea vir-
ga Sabæis. Idem I. Georg. v. 57: India mittit
ebur, molles sua tura Sabæi.*

v. 159. *Portitor.*) *Charon. Virg. IV. Georg.
— — non portitor Orci* (vat.

*Portitor has horrendus aquas & flumina ser-
Albinovanus consolatur ad Liviam: Omnes
expectat avarus Portitor. Propertius lib. IV.
eleg. ult.*

*Vota morient superos: ubi portitor ara recepit,
Osserat herbosos lurida porta rogos.*

*Idem Porthmeus. Juvenalis: tetrumq̄ novitius
horret Porthmea. Petronius: Vix navita Porth-
meus sufficiat simulacra virum traducere cym-
bâ, Classe opus est. Vide Scholiasten Juvena-
lis Sat. III.*

v. 183. *virq̄ virum afflavit*) *tetigit, per-
culsit.*

v. 230. *fulmineum enses*) *fulminis instar
irrupentem.*

v. 236. *abies obnixa genu*) *Lucem huic lo-
co Lipsius accendit lib. III. de milit. Rom.
cap. VII. quem non pigeat adire.*

v. 244. *mediam moriens descendit in hastam.*)
*Hypallage: pro, in morientem hasta defi-
gitur.* v. 249.

v. 249. *ultima teli*) extremum teli, finem hastæ.

v. 250. *nequicquam*.) Virgilius II. Æneid. *nequicquam umbone pependit*. Noster mox v. 257. *Nequicquam totis revocantem viribus armos*, hoc est, frustra.

v. 261. *ab arbore rami*) Eruditiss. Alardus cum Maserio, *ab aëre rami*. Eleganter, & cum Virgilio. Sed nec prius illud Valerio indignum. Vide enim, an parum conveniat cum hoc Virgiliano lib. V. Æneid. v. 504: *adversig infigitur arbore mali*. Arbor mali pro ipso malo. Sic *arbor rami* pro ipso ramo. Neque enim *arbor* semper grandem stipitem notat, sed quandoque frutices, & humiles, ut Virgilius loquitur, *genistas*. Possent hujus rei multa congerere, si ad manum essent libri. Nam nunc quidem, cum hæc scribo, præter unum Virgilium fere nihil præstò est librariæ supellectilis.

v. 273. *telo moribundus adactò*.) supra v. 183 *virg virum galeis afflavit adactis*. Inferius v. 307: *contra sic victor adactò ense refert*.

v. 275. *carmine*) *irpòde* seu cantus magicos intelligit. Vide Virgil. Eclog. VIII.

v. 283. *tam fæda senectus*) torpor, langvor, pigrities, pusillanimitas.

v. 308. *durare*) superesse. Respicit autem ad superiora v. 123. seqq.

v. 311. *pietas nati*) pius natus.

v. 322. *subiit.*) aggressus est. Lib. II. v. 560.

v. 324. *alium annum.*) aliam anni faciem,
aliam aëris constitutionem. Virg. Eclog. III:
Nunc frondent silvæ, nunc formosissimus annus.

v. 342. *natosq; rudes.*) *ἀφύροντες*, recens-
natos.

v. 360. *pingvi unguine*) Omnis succus, quo
ungi potest, unguen dicitur.

v. 432. *seras iras.*) Hactenus dissimulatas:
vel gravissimas, ut Sallustius: *serum bellum in
angustis futurum.* Vid. ad lib. II. v. 294.

v. 435. *Tartaream proflantes pectore noctem.*)
Sic: *spirantes naribus ignem.*

v. 446. *Terrificus mirata modis*) legen-
dum est:

———— hanc maxima Circe

Terrificis mirata modis, hanc advena Phryxus.
Mulier terrificis modis, ut vir magnis factis
apud Ciceronem.

v. 456. *Jamdudum*) mox, citò. Virgilius II.
Æneid. jamdudum sumite poenas. Servius. In-
fra v. 604: *Ora sub excelso jamdudum vertice
coni Sæva micant.*

v. 491. *falsæ sorori*) Junoni pro sorore
Chalciope se gerenti.

v. 492. *per vernos colores*) coloribus ver-
nis.

v. 503. *murorum extrema capeffant*) Supra:
freta iussa capeffunt.

v. 533. *inq; Dei latuit terrore Lycæi.*) Deus Ly-
cæi

esi Pan vocatur. Lycæus enim Arcadiae mons, ubi Pan educatus & cultus. Hujus formam assumpsit Otaxes, homo imbellis & prædo, nullâ armorum gloriâ celebris, sed furtis notus. Solebat enim depopulari greges, impune & licentissimè, ob terrorem scilicet, quem incolis incussit deum mentitus. Igitur in pugna quoque cornua assumit, & terrorem Panicum inter hostes excitat, victoriam reportaturus stratagemate. At enim Aron fraudem animadvertens, personatum Faunum masculè subit, & se non pavidum opilionem esse ait, sed fortem bellatorem, qui non curet istiusmodi μοιρολόχεια. Νεφε Deum mihi frage, inquit: hoc est, frustra sub personâ Panis aut Fauni latitas, non enim larvam tuam timeo. Deus quoque conjere dextram, hoc est, prodi ad certamen etiam in habitu illo Panico, senties me simulatam divinitatem tuam non metuere. Hæc mihi videtur genuina hujus loci sententia, quæ etiam solertissimo Alardo probabatur, in quodam schedio nuperimè ad me transmissio.

v. 543. *furens.*) *Furens* est furore bellico percita & præliandi cupiditate quasi ardens. Virgilius I. *Æneid*:

*Ducit Amazonidum lutatis agmina peltis
Penthesilæa furens.*

ubi similiter in laudem dicitur.

v. 556. *sublabitur*,) occidit, moritur. Libro V. *fatisq; rapacibus Idmon Labitur.*

v. 693. *Parcæ tenuere*) fata. Virgil. I. Æn. *Sic velvere Parcæ.*

v. 716. *tendit*) prosternit ut lib. IV. v. 320.

AD LIBRUM VII.

VERS. II. *ante tuos vultus*) ante quam te videram.

v. 87. *infando tyranno*) crudeli Hinc Cicero *rem infandam & crudelem* conjungit. Inferius v. 415:

*Ne precor infando similem te virgo parenti
Gesseris.*

v. 90. *alium hic Pelian, alia æq̄vora cerno.*) *ωαγιμαξας*, q. d. Ætes non minus fraude ac dolo interitum meum quærit, atque Pelias: & postquam æq̄vora jussa superavi, objicitur aliud periculum non minus grave & timendum.

110. *ardentes*) prurientes, ardenter iturientes. Confer lib. VI. v. 46.

v. 131. *Quid me autem sic ille movet*) Elegans usus vocis *autem*. Vide mihi Taubmannum ad Plauti Mercatorem act. I. 2. Virg. II. Æn.

*Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata
revolvo?*

v. 158. *fulvo Olympo.*) *fulvo* propter sidera. Tibullus versu superius citato: *lascivo sidera fulva choro.*

v. 160. *Illā nimis sed dura manet.*) Duros appellabant, qui ad rem aliquam essent difficiles. Infra v. 202:

Atque iterum dura cogar comes esse sorori.

Catullus ad Alphenum:

Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amicali.

Tibullus lib. I. eleg. I:

Et sedeo duras janitor ante fores.

Molles contra, qui faciliè amarent. Catullus carm. XLVI:

Ignis mollibus ardet in medullis.

Virgilius: — *est molleis flamma medullas.*

Ita enim legere malim, quàm *mollis flamma.*

Item *faciles.* Tibullus lib. eod. eleg. III:

Sed me qui facilis tenero sum semper amorè.

v. 170. *solvat, & in somnos ingenti solvat ab orno.*) fortè,

— *in somnos ingenti volvat ab orno.*

v. 209. *tumuloq̄ has reddere curas.*) Ossa Jasonis, pro quo tam sollicita sum. Solentissimum enim *curas* pro personis amatis ponere. Vel illud Virgilii sufficit Eclog. X. *tua cura Lycoris.*

v. 224. *tue venio juventa.*) Tibi juvenulæ.

Ita sæpe Plautus *etas mea*, id est, Ego.

v. 237. *jamdudum*) mox. Ut lib. præcedente v. 456. Sic paulo ante v. 224. *jam pridem* videtur usurpare pro *jam satis*.

v. 241. *magis*) potius. Barth. ad Claudian.

v. 246. *Redde diem noctemq̄ mihi.*) Fac nocte

fruar quietâ, utq̄, deleam ex animo istum virum, cujus amor omnes mihi dies acerbos facit.

v. 244. *ardua amanti*) hoc est, mihi amanti ardua, id est, Jasonem, cujus potiri arduum & difficile fuerit.

v. 250. *In festâ cerno omnia*) leg. *omina*, nam quod sequitur clarè poscit.

v. 253. *monstrabat*) perditè se amare hoc ipso ostendebat.

v. 255. *permixtumq̄ odii inspirat amorem*) Eleganter Catullus de Venere:

— Non est dea nescia nostri,

Quæ dulcem curis miscet amaritiam.

v. 275. *hæc n. mina*) hos viros, hos heroas.

v. 288. *promisi, ne falle precor.*) hoc est, promisi ipsi amorem tuum, & spem feci certam auxilii, noli igitur committere, ut falsa fuerim.

v. 290. *dignior es*) Loci integri sententia est: etsi ipsa movebar fortunâ pulcherrimi herois, ac juvare eum, & hoc pacto intercipere poteram amorem ipsius: tamen passa sum potius Te rogari & amari, quam digniorem judicavi præ me ipsâ, cui obtingat tam magnus supplex, & immensa laudis gloria, quâ Te omnis mactabit posteritas ob ereptum Jasonem, & pactum cum ipso matrimonium. Nam laudis novæ ego non indigeo, cum jam dudum famæ cele-

celebritatisq; plus fatis consecuta fim venenis meis, sive arte meâ magicâ.

v. 296. *obruit aures.*) Quis non videt, emendandum esse *obstruit*?

v. 298. *ruptâ condi tellure premiâ cupit*) Ita Dido IV. *Æneid.* v. 450.

Mortem orat, tædet cœli convexa tueri.

v. 317. *destinat*) vult, statuit. Columella: *Itaque considerandum erit, ut solum, quod excolere destinamus, pingve sit.*

v. 318. *Denegat*) *Lege: mox negat.*

v. 324. *abscissum*) remotum, profligatum. Livius: *spe omni abscissâ.*

v. 325. *Tum thalami penetræ*) Virgilius *ibid. penetræli in sede.* Sed contende quæso loca: nam illuc intendisse oculos Valerium fatis apparet.

v. 329. *manibus imis.*) imis terræ locis.

v. 332. *brevissima effugia*) facillima, & quæ brevi invenire potes.

v. 375. *supremum*) singulari notione, pro supernè, in altis.

v. 359. *editâ,*) *lege, alitâ.*

v. 358. *tristesq; pruinæ.*) acres. Sic *tristis hiems* apud Virgilium, & *tristes succi* pro amaris apud eundem lib. II. *Georg.*

v. 374. *blandis alloquiis*) hortatibus. Virgilius X. *Æneid.* — *alloquitur mœrentem, & talibus infit.* Vide elegantiss. librum Aufonii Popmæ de diff. verb.

v. 391. cumq; suis averti collibus amnes.) Credebant carmine magico etiam flumina aliorsum deduci, aut planè fitti. Maro in Pharmaceutr:

Et mutata suos requierunt flumina cursus.

v. 401. impingit) paulo ante inciderat.

v. 427. & reddat) leg. en reddat.

v. 441. pars seva manebat.) lego:

— nempè hanc animam fors seva manebat
Funeris.

Ut Virgilius II. Æneid:

*Hæc finis Priam: fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit.*

v. 430. degenerem nec me tu prima videbis.) timidum, recusantem pericula. Virgilius II. Æneid:

— — illi mea tristia facta,

Degeneremq; Neoptolemū narrare memento.

Stattius: *Degeneres animos timor arguit.*

v. 480. quocunq; loco, quoscunq; per annos.) omni loco, omnibus annis. Lib. VIII. v. 4:

— — quascunq;ve per undas

Ferre fugam, quamcunq;ve cupit jam scandere puppim.

Ibidem v. 34:

In quamcunq;ve tremens hominem cadit.

Et v. 51. *Experiar quascunq;ve vias.* v. 169: *In quascunq;ve vias.*

v. 481. *Atq;ve hunc te meminisse velis.) hunc, id est qualis nunc es, miserum, in angustiis*

con-

constitutum, & meis artibus eripiendum.

v. 489. *jamdudum afflārat*) *jamdudum*, modo nuperrimè.

v. 555. *grave robur aratri*) *grave aratrum*. Vide quæ ad Cassii Orpheum congerimus.

v. 563. *cærulei Boreæ ferus abstulit horror*) supra v. 378: *Illos cærulei primus ferit horror Olympi*.

v. 580. *adversi Jasonis arma*) *adversus pro hoste, repugnante, ut sæpe apud Nostrum. Cæsar lib. III. bell. Civil: Interfectus est gladio in os adversum coniecto. Virgilius IX. Æneid. donec Rutuli clamantis in ore Condidit adverso. Infra v. 6:6: Opperiens ubi prima sibi daret agmina tellus Adverso*.

v. 584. *obnubii q̄ virum.*) *obnubilat, fumo involvit. Ita supra vestire usurpavit. Mox v. 598: ait: noctem implicat.*

v. 592. *descendere.*) *Ita lego, & decidere expono. Plautus: descendunt ex oculis lacrimæ. hoc est, decidunt. Probant hanc sententiam, quæ mox leguntur v. 598:*

— — — *ille fatiscens*

In caput, inq̄ humeros ipsâ vi molis & irâ Proruit.

v. 596. *toros.*) *toros, cervicem. Virgilius de Leone: comantes excutiens cervice toros. Seneca: Arduos toros attollit taurus.*

v. 597. *ex armis*) *Hanc scripturam approbat decus Musarum Lampertus Alardus,*
qvæta

quem vide. At Scaligero F. placet *exorat*. Ego, si quid emendandum, legerim *exanimat*, *εκφοβῆς*, sensu commodissimo. Horatius: *metuentes verbera exanimantur*. Terentius: *Oratio hæc me miseram exanimavit metu*. Oratorum aquila: *Te metus exanimant iudiciorum atque legum*.

v. 609. *oneratq; novalia bello*) Bello, hoc est, femine ex quo nascituri erant bellatores. Mox: *totiq; occurrere bello Ipse caput*, hoc est, toti turbæ Gigantum. Lib. VIII. v. 138: *complentur littora bello*.

v. 619. *ense sequaci*.) hoc est, persequente. Ita de Malæa, Laconix promontorio, Virgilius lib. V: *Malæaq; sequacibus undis*, i. e. persecutricibus, & quæ crebrò retrahunt spe jam tutos & securos. Ordo autem loci est: *prior ense sequaci æquat humo truncos, quæ cellus proxima collo imo, nec dum humeri videre diem*, hoc est, ubi Gigantis noviter succrescentis caput è terrâ emicat, statim adest Jason stricto ense, & illud amputat prope terram ab imo collo, antequam emergant humeri: at sequenti, interim altius erumpenti, diffindit thoracem, aut abscindit primas à matre manus, hoc est, primùm seu noviter è terrâ exsurgentes.

v. 628. *sic undiq; densant terrigine jam signa duces*.) Lego *densant*, quod germanum est, non *densant*. Hoc verbum ubiq; fere corruptum

ruptum restituerunt multis locis Servius, Lambinus, Gifanius, Scaliger, Heinsius, Taubmannus: idem me auctore hic reduci debet, & Valerio asseri. Est autem *densere* cumulare, multiplicare. Virgilius XII. *Aeneid.*

— vos unanimi densete catervas.

Idem:

Agmina densentur campis Argivaq; pubes.

Idem I. *Georgicôn:*

— obtentâ densentur nocte tenebræ.

Horatius lib. I. *Od.* XXVIII:

Mixta senum ac juvenum densentur funera.

Lucretius lib. I:

— — quia se condensat aër.

Ovidius XIV. *Metamorphoseon:*

Tunc quoque cantato densetur carmine cœlum.

Vigilius iterum, in *Culicē:*

Quem circa tristes densentur in omnia pœnæ.

v. 643. *hausit sua funera tellus.*) fortè *sua pignora*. Quamquam & vulgaris lectio defendi potest. *sua funera*, hoc est, suos filios propero funere extinctos.

AD LIBRUM VIII.

VERS. 20. *velut torto Furiarum ejecta flagello.*) Velut à Furiis exacta.

v. 26. *sidereâ juventâ*) pulchritudo sæpe cum rosis & sideribus collata. Vide de

utro-

utroque ambitiosissime Pareum ad Musæi erotopægnion.

v. 70. *Somne omnipotens*) *παιδαμάτωρ*. Somnum à Poëtis pro deo haberi superiùs notatum.

v. 106. *dimitte moras*.) hæc vera lectio est, ut frustra sit vir nobiliss. qui corrigere tenet. Textum inspicias, non dubitabis, scio.

v. 151. *ungvibus unctis prædonis in ipsius ora ire*) *lingves* arma sunt mulierum sæpe celebrata à Comicis: ubi videndi Commentatores.

v. 155. *furto*) prædâ. Verbum hîc appositissimum. Nam amores clandestinos, aut quidquid occultè fit, *furtum* appellamus. Tibullus:

— *celari vult sua furta Venus.*

Virgilius V. I. Æneid:

Suppositâ de matre nothos furata creavit.

Ita Musæus dixit *εκολεσεν οὐκ ἐκλεπεν ἀφ' ἑδότης*. Livius, *furtivum iter*.

v. 159. *Ipsa fugit*) Ipsa, suâ sponte, nemine impellente, *αὐτόμολος*: quomodo Theocritus *αὐτὸν* usurpat. Virgilius Eclog: VII:

Huc ipsi potum venient per prata juvenci.

v. eod. *tanto*) tam nefario. ut mox v. 165: *cur tanta mihi non prodita pestis?*

v. 191. *Sint age tanti Æsonide quæcumque mora, quàm se va subire*) Locutio elliptica; deest enim *potius* aut similis particula, hoc sensu: *feramus potius quascumque mo-*

ras,

ras, quàm subeamus iterum Cyaneas. Ita libro superiori v. 428:

*Possumus, idq; sedet, quàm non quæcumq; subire
Patris iussa tui.*

v. 216. *hortatur*) Omninò *hortatus* emendandum est: nec aliud textus admittit.

v. 237. *Tum novus implevit vultus honor*) Honor quandoque pulchritudinem rerum significat. Martialis lib. VI; *Tantus veris honoros.* Horatius lib. II, Od. XI:

Non semper idem floribus est honos.

Statius: *Flammeus oris honor.* Seneca in Apocol.

Et deformis hiems gratos carpebat honores.

v. 264. *Atque*) statim, mox, sine morâ. Videatur Gellius lib. X. cap. XXIX. Taubmannus ad Plauti Epidio. act. II. sc. II. *Paræus* in Lexico Plautino.

v. 347. *nec myrrhâ corpus Achivi.*) Myrrhæ usum in sepulturis creberrimum fuisse innuit Martialis:

Dum levis arsurâ struitur Libitina papyro,

Dum Myrrham, & Casiam flebilis uxor emisit.

Et alibi:

*Unguenta, & Casias, & olentem funera
Myrrham.*

Vide celeberrimum virum Raimund. Mindererum in Aloëdario Marocostino c. VI.

v. 457. *orbata traherent suspiria vacca.*) Nihil hic mutari debet, ne à Barthio quidem.

dem. Est enim simile satis aptum, & pariter adhibitum à Cointo Smyrno lib. VII. & XIII. Adde, si placet, Lucretium lib. II. v. 352.

Habes, optime ALARDE, mea in eximium Poëtam Schediasmata. Pro Scholâ, inq̄vies. Non diffiteor. Neq̄ve aliter potui calamo tumultuario, ^{non dicitur in hunc.} Nolim tamen ex his aestimari. Nam ab ingenio longè absum illorum hominum, qui se in bicipiti Parnasso, Musas inter & Apollinem, lauros decerpisse arbitrantur, si valeant magno conatu & v̄gilis multis hujus generis ^{ἀλίου} emoliri. Nos hæc pueri didicimus. Robustiores facti non attingimus, nisi ludibundi & horis subisivis: repetentes memoria, quæ olim notabamus ex omni genere Poëtarum. Horum enim in hortis multum temporis insumebamus, jucundius quàm fructuosius. Quamquam aliquam ^{ἐπιχρηστικῶς} non negabo, si vel his Commentariolis meum Tibi fuero adfectum contestatus. Iterum vale, mi ALARDE.

ET DEUS ET MUSÆ!

F I N I S.